



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699


Tractatus XIII. De Censuris, ac Irregularitate, aliisque Pœnis Canonicis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206



TRACTATUS XIII.

De Censuris, ac Irregularitate, aliisque Pœnis Canonicis.

1.  **R**actatus de Censuris Ecclesiasticis valdè utilis est, scitùque necessarius omnibus, qui sive in Foro Pœnitentiæ, sive exteriori Ecclesiastico judicant; eò quòd ipsæ partim sint Pœnæ medicinales, partim pertineant ad *Nervum Ecclesiasticæ disciplinæ* nunquam distrumpendum, *c. Cùm inter, de Consuetud.* Quia verò Censuræ sub Pœnis Canonicis, tanquam species sub genere continentur, breviter etiam de his agendum, ita tamen, ut materia Irregularitatum exactiùs declaretur.

Utilitas hujus Tractatus.

DISTINCTIO I.

De Censuris, & Pœnis Canonicis in genere.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Censura Ecclesiastica?

2. **C**ensura apud Romanos significabat tum Officium Censoris, tum sententiam ejusdem Censoris, mores corrigentis, aut pœnam decernentis. Unde occasione hujus posterioris acceptionis factum est, quòd Censura significet correctionem quandam, & punitionem; juxta illud Juvenalis, *Satyrâ 1. de Junone canentis: Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Censura generatim.

bas. In proposito tamen nomine Censuræ intelligimus solam Ecclesiasticam; de qua loquendo, sit

Censura Ec-
clesiastica,
quid?

3. CONCL. I. *Censura Ecclesiastica* est poena spiritualis, ac medicinalis, pro culpâ inflicta, privans usu aliquorum spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam potestatem imposita, ut Fidelis à contumacia desistat. Ita in re communis, & patebit explicando singulas particulas.

Est poena
spiritualis,

4. Dicitur, *poena spiritualis.* Tum ad differentiam poenarum corporalium: siquidem Censuræ Ecclesiasticæ non versantur principaliter circa privationem bonorum temporalium, aut afflictionem corporis: quamvis per accidens, & secundario, nonnunquam hæc sequatur ex illa. Tum quia poena spiritualis latius patet, quam censura: unde hæc particula stat loco generis, cætera verò habent rationem differentię.

Ac medici-
nalis.

5. Dicitur ulterius, *ac medicinalis.* Quia Censura Ecclesiastica propriè non est poena vindicativa sceleris jam patrati, sed potius est poena medicinalis, intendens futuram correctionem delinquentis contumacis, *arg. cap. 1. de Sentent. excomm. in 6. ibi: Cum medicinalis sit excommunicatio, non mortalis, disciplinans non eradicans; dum tamen is, in quem lata fuerit, non contemnat.*

Declaran-
tur aliæ ejus
particulæ.

(a) *Juxta*
dicenda
Dist. 3. n.
24. & seqq.

6. Additur, *pro culpâ inflicta.* Quia Censuræ Ecclesiasticæ non infliguntur, nisi ob culpam: per quod differunt ab irregularitate, quæ quandoque incurritur absque ulla culpa, ex merito de facto aliquo. (a) Et additur rursus, *privans usu aliquorum bonorum dicenda spiritualium:* qualia sunt administratio, vel receptio Sacramentorum, Suffragia Ecclesiæ, Sacrificium Missæ, ac hujusmodi. Dicitur tandem, *per Ecclesiasticam potestatem imposita:* quia potestas ferendi Censuras convenit soli Ecclesiæ, cui dicta potestas competit Jure Divino; prout habetur *Matth. cap. 16. & 18.* quamvis institutio, atque ipsa impositio Censurarum, sit de Jure humano Ecclesiastico.

Censuræ Ec-
clesiasticæ,
quot?

7. CONCL. II. Censuræ Ecclesiasticæ sunt tantum tres, videlicet Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum. Ita omnes Doctores; & habetur clarè *c. Querenti. de Verb. signif.* ubi Pontifex interrogatus, quid per Censuram Ecclesiasticam debeat intelligi? Respondet, quod per eam non solum interdicti, sed suspensionis, ac excommunicationis sententia valeat intelligi. Unde patet, has tres esse Censuras Ecclesiasticas, & quidem solas.

QUÆ

Q U Æ S T I O II.

Ob quam causam Censuræ ferri possint ?

8. **C**ONCL. I. Ob solum peccatum mortale, externum, & in suo genere completum, potest infligi Excommunicatio major, vel alia Censura Ecclesiastica gravis. Ita Doctores passim. Ratio primæ partis est : quia pœna, ut sit justa, debet commensurari culpæ, sive eam non excedere : Excommunicatio major autem est gravissima pœna ; ergo etiam gravem, seu mortalem culpam requirit.

Excommu-
nicatio, aut
alia Censu-
ra, fertur ob
solum pec-
catum mor-
tale.

9. Dicitur notanter, *Excommunicatio major*. Siquidem, ut notat Reginaldus *lib. 32. num. 147.* cum communi, Excommunicatio minor potest imponi non solum ob peccatum mortale, sed etiam ob veniale ; nempe ob communicationem cum excommunicato vivando in alloquio, mensa, aliisque commercijs humanis, in quibus non reperitur notabilis irreverentia Dei, vel læsio sui, aut Proximi. Et ratio est : quia effectus Excommunicationis minoris non est adeò gravis, cum privet solum participatione seu receptione Sacramentorum, quæ non quovis tempore est necessaria.

Demptâ Ex-
communi-
catione mi-
nori ;

10. Et additur, *vel alia censura Ecclesiastica gravis*. Siquidem nihil prohibet, quin propter levem, sive venialem culpam, quandoque imponatur suspensio levis, v. g. suspensio ab uno actu electionis, aut Missâ celebrandâ per unum vel alterum diem ; prout notat Pirhing *tit. de Sent. excomm. n. 207.* Layman *lib. 1. tract. 5. part. 3. n. 2.* Suarez, Navarrus, & alij.

Ac Suspen-
sione levi.

11. Altera pars Conclusionis, quòd ob solum peccatum externum incurratur Censura, ex eo suaderetur : quia Ecclesia non judicat de occultis. Et hinc alibi (c) jam dictum est cum communi, licet Hæretici ipso jure incurrant excommunicationem, nihilominus eum, qui hæresin solo animo fovet, excommunicationem non incurrere, priusquàm verbo vel opere externo eam sufficienter manifestarit.

Peccatum
illud debet
esse externûs
(c) *Tract.*
2. Dist. 1.
n. 46. &
Tr. 4. Dist.

12. Ultimæ tandem partis, quòd peccatum in suo genere debeat esse completum, ratio est : quia leges pœnales sunt strictè interpretandæ, c. *Odia. de Reg. Jur. in 6.* Simulque earum verba accipienda cum effectu, arg. c. *Hæc autem verba. de Penit. dist. 1.* Hinc, qui conatus fuit percutere Clericum, sed erravit, aut impeditus fuit, non incurrit pœnam excommunicationis laram

4. n. 26.
Ac in suo
genere
completum ;

Iatam in Percuſſores Clericorum. Similiter, quamvis dicta excommunicatio ſit ſtatuta etiam in mandantes, vel conſulentes percuſſionem Clericorum, ea tamen ab iſſis non incurritur, niſi percuſſio Clerici actualiter ſit ſecuta: & idem dicendum de ſimilibus.

Er quod ha-
bet annexā
contumacia-
m, ſive
inobedien-
tiam delin-
quentis.

13. CONCL. II. Non ob quodlibet peccatum mortale poteſt ferri Excommunicatio, aut alia proprie dicta Cenſura Eccleſiaſtica: ſed requiritur ulterius, ut peccatum illud habeat annexam inobedientiam, & contumaciam delinquentis, per quam Reus Eccleſiæ monentis, ac præcipientis, auctoritatem ſpernere cenſetur. Ita Navarrus *cap. 27. Manual. num. 9. Sannig. Diſt. 1. de Cenſuris, queſt. 3. num. 12. Abbas, & alij.* Et hoc colligitur ex S. Scriptura: nam *Matth. 18.* dicitur: *Si Eccleſiam non audierit* (id eſt, ſi ei obediens non fuerit) *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*; id eſt, tanquam exclusus ex gremio Eccleſiæ. Idem deſumitur ex definitione Cenſuræ ut ſic, qua dicitur, Cenſuram eſſe inſtigendam, ut Fidelis à contumacia deſiſtat: & hinc cenſura Eccleſiaſtica cenſetur eſſe pœna medicinalis.

Quomodo
etiam ob
alias cauſas,
quis ex-
communi-
cari poſſit?

14. Nec dictis obſtat, quòd quis non ſolum ob contumaciam, ſed ob alias quoque cauſas excommunicari poſſit; prout deſumitur ex *c. Qua fronte, de Apellat. ibi: Sanè ſi quis pro contumacia, vel alia qualibet cauſa, interdicto vel excommunicatione tenetur aſtrictus.* Reſp. quippe cum Abbate *ad cit. cap. num. 10.* ad excommunicationem ſemper requiri contumaciam, quæ ſit cauſa immediata excommunicationis, ſive præceſſerit delictum, ſive non. Et hoc ultimum idcirco additur, quia poteſt *in aliquem interdicti, vel excommunicationis ſententia proferri pro contumacia tantum, quia ſcilicet citatus ſtare noluit juri,* text. *clar. c. Ex parte. il 1. de Verb. ſignif.* Quòd ſi verò aliud delictum præceſſerit, ac proinde excommunicationis ſententia proferatur non tantum propter contumaciam, ſed etiam pro illa cauſa alia, ſive pro delicto; tunc iſtud erit cauſa excommunicationis non immediata, ſed mediata.

Qualis con-
tumacia re-
quiratur, &
ſufficiat?

15. Nihilominus id, quod dicitur, ad incurrendam Cenſuram requiri ex parte delinquentis contumaciam, non ſic intelligendum eſt, quaſi requiratur contumacia atque contemptus formalis: ſufficit enim inobedientia generalis, & contemptus interpretativus; in hoc conſiſtens, quòd quis ſciens, quidpiam ab Eccleſia eſſe prohibitum ſub Cenſura, nihilominus illud facere non vereatur. Unde

16. Inferitur I. Excommunicationem, aut aliam Censuram, nunquam incurri ob peccatum solo Jure naturali, aut Divino prohibitum: nam ulterius requiritur præceptum Ecclesiæ, sub Censura quidpiam præcipientis, aut prohibentis, quod a Reo transgressore contumaciter spernatur.

17. Inferitur II. Censuram propriè dictam non esse infligendam ob peccatum merè præteritum; id est, quod penitus cessavit, & nullam præsentem inobedientiam ac contumaciam ad-junctam habet. Ratio est: Tum quia Reus alioquin non posset dici contumax. Tum quia Censura propriè dicta, non est solum pœna seu vindicta, sed simul medicina, ut Fidelis à contumacia desistat; ergo, cum inobedientia & contumacia non respiciat præterita, quæ iam non sunt in potestate hominis, propter solum peccatum præteritum nequit Censura propriè dicta infligi.

18. Dicitur notanter, Censura propriè dicta. Quia propter peccatum præteritum potest quidem imponi pœna, v. g. privatio Officij: vel Beneficij, imò & Suspendio ferri potest ob culpam merè præteritam, atque per modum pœnæ, ut notat Abbas in c. Reprehensibilis. num. 3. de Appellat. & Layman cit. tract. 5. part. 3. c. 3. num. 3. Verùm huiusmodi Suspendio, seu pœna, non est Censura propriè dicta; cum non inferatur per modum medicinæ ad avertendum hominem à peccato: sed est mera pœna spiritualis, & vindicativa peccati jam facti; cum tantùm imponatur in pœnam admissi sceleris. Bassæus & Censura, n. 15. & alij passim.

19. CONCL. III. Quamvis, si ipso jure decreta est Censura sententiæ, alia monitio necessaria non sit (quia tunc Lex, seu commune præceptum semper monet, ac proinde aliã trinã admonitione præviã opus non est, arg. c. Reprehensibilis. de Appellat.) Nihilominus, quando Censura fertur ab homine, ea nunquam infligenda est, nisi trinã & legitimã monitione præviã, cum intervallo dierum aliquot, saltem duorum aut trium, ut censurandus habeat sufficiens tempus ad exhibendam emendationem, vel præstandam satisfactionem, aut proponendam suam defensionem; alioquin non solum injusta, sed etiam irrita foret Censura: licet aliquando, si necessitas facti id suadeat, possit una etiam admonitio peremptoria sufficere. Ita habetur expresse c. Statuimus. & c. Constitutionem de Sent. excom. in 6. cum concordantibus; estque communis Doctorum.

Kkkk

20. Quæ-

Censura propriè non infligitur ob peccatum merè præteritum.

An possit imponi Suspendio v. g. per modum pœnæ?

Censura ipso jure decreta non requirit aliã monitione; Bene tamè, si ea feratur ab homine.



Censura an possit infligi ob peccatum alterius? Affirmatur de Interdicto. 20. Quæres, an possit infligi Censura Ecclesiastica ob peccatum alterius? Resp. I. Loquendo de Interdicto, sententiam affirmativam esse tenendam. Sic quippe propter peccatum Regis potest interdici totum Regnum, *arg. c. Non est vobis. de Sponsalibus.* Et pro peccatis Episcopi terra ipsi subjecta, *c. Sanè. il. 2. de Officio delegati.* Et propter delictum Domini, vel Rectoris, Civitas, *c. Si Sententia. de Sent. excommun. in 6.* Et Monasterium ob peccatum Prælati contumacis, *c. Cùm dilectus. de Religiosis domibus,* ac notat Fagnanus *c. Responso. n. 42. de Sent. excommunic.* Et sic quandoque puniuntur aliqui, qui non peccaverunt, vel potius in suis Subditis Superiores, ut publicâ coercitione confusi citius resipiscant, atque à sua desistant contumacia: præsertim, cùm pœna Interdicti non tam multis bonis privet, sicut excommunicatio major.

Negatur de Excommunicatione. Tota Communitas non debet excommunicari, quomodo? 21. Resp. II. Excommunicatio major ob peccatum alienum non incurritur: ac proinde, ne innocentes cum nocentibus pœna adeò gravi involvantur, simul & collectivè excommunicari non debet tota aliqua Communitas, sive Collegium, aut Civitas; quamvis singuli, adeoque etiam omnes distributivè, qui de tali Communitate nocentes reperiuntur, excommunicari valeant. Ita D. Thomas *part. 3. Supplem. quæst. 22. art. 5.* Tannerus *tom. 4. disp. 6. quæst. 10. dub. 3. num. 42.* Layman, Pirhing, & alij communiter. Ratio est: quia Excommunicatio major non est infligenda, nisi propter peccatum mortale; peccatum verò, cùm consistat in actu, non est Communitatis, sed singularem personarum. Accedit, quòd in Communitate plerumque soleant esse aliqui innoxii, & non consentientes peccato aliorum: atqui æquum non est, ut condemnetur justus cum impio, præsertim pœnâ tam gravi, qualis est Excommunicatio major.

Disparitas inter Interdictum, & Excommunicationem. Excommunicatio pœna gravissima. 22. Nec obstat, quòd secùs fiat in Interdicto. Negatur enim paritas: siquidem Interdictum non est tam gravis pœna, neque tam multis privat bonis, sicuti Excommunicatio major: hæc enim est separatio non solum à Divinis, sed etiam à communionem Fidelium, atque ideò pœna gravissima; sive, ut loquitur D. Augustinus, *relatus c. Corrigantur. 24. q. 3. qua pœna in Ecclesia nulla major est.* Quare ad hanc deveniendum non est, nisi magnâ adhibitâ circumspectione, & postquam prævijs monitionibus, ac plerumque alijs levioribus pœnis & Censuris, nihil obtineri potuit; prout rectè monet Concilium Trident. *Sess. 25.*

cap. 3. de Reform. juncto can. Ecce autem. 24. q. 3. Quinimò, cum ipsa sit poena medicinalis, neque tunc ad eam deveniendum est, nisi appareat spes aliqua fructus, vel ad ipsum Reum emendandum, vel saltem ad bonum publicum promovendum. Layman. loc. cit. part. 2. cap. 1. n. 6.

23. Cæterum, quod unus non sit excommunicandus propter peccatum alterius, utputa filius pro delicto parentis, ad longum resolvit D. Augustinus Epist. 75. ad Auxilium Episcopum, ac refertur c. Si habes 24. q. 3. Quod autem tota Communitas aliqua (intellige, simul & collectivè; secùs, distributivè, dummodò omnes sint Rei) excommunicanda non sit, statuitur c. Romana, de Sentent. excom. in 6. Ibi: In Universitatem, vel Collegium, proferri excommunicationis sententiam, penitus prohibemus, volentes animarum periculum evitare, quod exinde sequi posset; cum nonnunquam contingeret, innocuos hujusmodi sententiâ irretiri: sed in illos duntaxat de Collegio, vel Universitate, quos culpabiles esse constiterit, promulge-

Probatæ
responsio
ex Jur.

24. Utrum autem, si dictis non obstantibus excommunicetur tota Communitas, sententia excommunicationis valida sit, nec ne, ad longum disputat Fagnanus c. Responso. num. 88. de Sent. excom. Et quamvis non pauci Doctores censeant, ipsam esse invalidam, ponderando dictionem illam, penitus prohibemus: nihilominus idem Fagnanus n. 102. tenet contrarium, asserens cum Glossa in cit. c. Romana, & alijs, quod si sententia excommunicationis lata sit in Communitatem, non obstante, quod fuerit illicitè lata, & hac ratione injusta, adhuc benè teneat, & liget singulos de tali communitate doli capaces. Tum quia Pontifex prohibuit quidem, ejusmodi ferri sententiam, sed hanc non irritavit. Tum quia, ut dicitur c. ad Apostolicam. de Regularibus, Multa fieri prohibentur, quasi facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Accedit, quod sententia Pastoris, sive justa, sive injusta fuerit, timenda sit, c. Sententia. 11. q. 3.

An, si ex-
communi-
cetur tota
Communi-
tas, teneat
Excommu-
nicatio?

25. Resp. III. Suspendio strictè accepta non incurritur, nisi ob culpam propriam. Ita Navarrus cap. 27. Manual. num. 165. Layman lib. 1. tract. 5. part. 3. cap. 3. num. 1. Suarez, & alij. Ratio est: quia Suspendio est propriè dicta poena, quippe directè culpam adimens usum Ecclesiasticæ potestatis: atqui poena talis non incurritur sine culpa propria; Quinimò peccata suos authores tenere debent, prout habetur c. Quasvit de his que fiunt à majori part. Capit.

Suspendio
non incur-
ritur, nisi ob
propria
culpam.

Disparitas
inter hanc
ac Interdi-
ctum.

26. Nec urget, si fiat instantia de Interdicto. Nam neque Interdictum personale solet incurri, nisi ob peccatum proprium. Et quamvis Interdictum locale etiam astringat innocentes, id tamen fit duntaxat indirectè, ac quamdiu sunt in loco interdicto: nam extrà illum possunt interesse Divinis, atque si moriantur, in Loco sacro sepeliri. Contra suspensus nullibi potest exercere usum potestatis Ecclesiasticæ.

Q U Æ S T I O III.

An ignorantia, metus, vel aliud quidpiam excuset ab in-
currenda Censura?

Regula ge-
neralis cir-
ca hoc.

27. **S**upponendum pro regula generali, cum juxta dicta *num. 8. ac seqq.* & Doctores passim, ad incurrendam Censuram Ecclesiasticam requiratur culpa mortalis, & talis, qualis ibidem est descripta: quotiescunque aliquis per ignorantiam, inadvertentiam, vel animi passionem, aut parvitatem materiæ excusatur à peccato mortali, eum etiam ab excommunicatione majori, gravi Suspensione, atque Interdicto personali fore excusandum. Hoc prænotato, quantum attinet ad statum propositæ Quæstionis, sit

Ignorantia
facti excu-
sat à Censu-
ra.

28. **CONCL. I.** Ignorantia facti, qua quis ignorat, factum suum esse tale, quod sub Censura prohibitum est, excusat ab ipsa Censura: hinc, si quis v. g. percutiat Clericum, quem putat esse Laicum, adeoque invincibiliter ignorat esse Clericum, excusatur ab excommunicatione. Ita communis; & habetur *c. Si verò de Sent. excom. ibi: Si verò aliquis in Clericum nutrientem comam manus injecerit violentas, propter hoc non debet excommunicatione notari; dummodo ipsum Clericum esse ignoraverit.* Imò in tali casu sufficit ad evitandam Censuram ignorantia probabilis, ut explicat Glossa ibidem.

Ignorantia
Juris etiam
excusat à
Censura,
dummodo
non sit cras-
sa.

29. **CONCL. II.** Ignorantia invincibilis, vel probabilis Juris Ecclesiastici, præcipientis, vel prohibentis, quidpiam sub Censura; imò & sola ignorantia ipsius Censuræ, dummodo non sit crassa, seu supina, excusat à Censura incurrenda. Ita Doctores communiter; & habetur clarè *ex cap. 2. de Constit. in 6. ubi dicitur: Ut animarum periculis obvietur, sententijs per statuta quorumcumque Ordinariorū prolati ligare nolumus ignorantes; dum tamen eorum Ignorantia crassa non fuerit, aut supina.* Quæ decisio cum sit favorabilis, multumque rationabilis,

bilis, non tantum in Statutis Episcoporum, sed etiam Constitutionibus Pontificijs locum habet; nam etiam Papa est Ordinarius, & quidem Ordinarius Ordinariorum.

30. Infertur proinde, quod, licet quis sciat, opus aliquod esse prohibitum vel præceptum, sive Lege naturali, aut Divina, sive Ecclesiastica; si tamen invincibiliter, aut probabiliter ignoret, ipsi esse annexam excommunicationem, aut aliam Censuram Ecclesiasticam, hanc ipse non incurrat. Pater hoc tum ex cit. textu Juris Canonici; tum ratio hujus ulterior est: quia ad incurrendam Censuram requiritur contumacia, & virtualis quidam contemptus, quo quis recusat obedire legi, sub tali pœna seu Censura quidpiam præcipienti: atqui is, qui ignorat illam pœnam, seu Censuram, jam non est taliter contumax; ergo.

Corollarium.

31. Infertur ulterius, rusticos, aliosque homines simplices, sapientius ex hoc fundamento excusari ab incurrenda Censura excommunicationis; eò quod eam esse hęc & nunc latam, rarissime sciant, imò vix audierint aliquid de excommunicatione. Dummodò excipias excommunicationem in percussores Clericorum latam, & vix alicui ignotam, atque alias Censuras communiores, vel publicè denuntiatas.

Rustici, & homines simplices, sapientius per hoc excusantur à Censuris.

32. CONCL. III. Qui ex gravi metu mortis, mutilationis, infamiae, aut hujusmodi, transgreditur legem Ecclesiasticam sub pœna Censuræ impositam, is non incurrit annexam Censuram. Ita Pirhing tit. de Sent. excomm. num. 47. Suarez, & alij. Ratio est: quia leges Ecclesiasticæ regulariter non obligant cum tanta severitate, seu periculo vitæ, aut membrorum: (b) Atqui lex Censuram imponens, est Ecclesiastica; ergo.

Metus gravis excusat à Censuris. (b) Juxta dict. Tract. 2. Dist. 2. n. 25. & seqq.

33. Nec obstat, quod talis non tantum contra legem Ecclesiasticam, sed etiam contra Naturalem, ac Divinam operetur, ac proinde peccet: ut si quis gravi metu mortis adactus Matrimonium contrahat, & consummet cum consanguinea, vel Moniali. Resp. enim, quamvis talis peccet contra legem Divinam & Naturalem, eò quod Matrimonium sit illicitum, simulque propter nullum metum sit faciendum peccatum; adhuc tamen eum non incurrere excommunicationem, quæ ipso jure lata est contra taliter contrahentes, Clem. un. de Consang. & affinit. Nam hæc jure duntaxat Ecclesiastico, quale in casu tanti metus non obligat, statuta est: incestus autem prohibetur jure naturali & Divino, quod ex nullo metu licitum est transgredi.

Etiamsi auctus jure naturæ prohibitus existat.

Excommu- 34. CONCL. IV. Insuper ex triplici capite, potest excom-
nicatio, aut municatio, aut alia Censura Ecclesiastica reddi invalida, ita ut
alia Censu- nullum producat effectum: videlicet ob defectum jurisdictionis,
ra sit inava- ob defectum substantialis ordinis Judicij, & ob defectum justæ cau-
lida. Itæ. Ita Pirhing *loc. cit. num. 40.* & alij communiter. Et quidem.

35. I. Censura ab homine lata redditur invalida, a deo ut non
obliget, ob defectum jurisdictionis in ferente: ut si imponens
& Censuram, vel simpliciter caret Jurisdictione eam imponendi, vel
hoc dupli- ipsam habeat impeditam per excommunicationem, aut suspen-
citer. sionem. Nam *excommunicatus*, vel suspensus ab officio, *alium ex-
communicare non potest*; c. *Audivimus. 24. q. 1.* junctâ Glosâ ibi-
dem.

36. Idem dicendum, si Prælatus habeat jurisdictionem sus-
pensionem per appellationem, legitimè ab alio interpositam ante
sententiam absolute latam: ut si is ferat sententiam contra Sem-
pronium, quod nisi intra tot v. g. dies satisfecerit, noverit se esse
excommunicatum; atque interim Sempronius appellet, & a
Glosa 2. 2. diem statutum non satisfaciat: nam ipse Censuram ejusmodi non
incurrit, eò quod per legitimam appellationem, ante eventum
conditionis interpositam, impediatur effectus Censuræ sub con-
ditione latæ, vel alterius postea primùm infligendæ; prout ha-
betur c. *Præterea. 40. de Appellat.* Secus foret, si appellatio primùm
fieret post latam sententiam Censuræ in aliquem: nam hujus ef-
fectus per appellationem subsequenter non impeditur, neque
suspenditur, *text. clar. c. Is cui de Sentent. excommun. in 6.*

37. II. Censura excommunicationis, aut alia, redditur
invalida, & nullius roboris, ob defectum substantialis ordinis
Judicij: ut si Judex Censuram laturus nullam omninò, ne uni-
cam quidem, præmittat admonitionem; vel si omitatur cita-
tio Rei, isque ad sui defensionem non admittatur; aut si legiti-
ma probatio causæ, ob quam Censura fertur, desit. Pirhing *loc. cit.* Suarez & alij.

38. III. Censura est invalida ob defectum justæ causæ, si
nimirum ob nullam, aut omninò levem, & non commensura-
tam culpam feratur. Porrò justitia causæ rursus tripliciter po-
& hoc tri- rest deficere. Primò, si nec re ipsâ, nec secundum allegata & pro-
bata crimen subsit: ut si quis excommunicetur, quod pauperi
pliciter. eleemosynam tribuerit, vel non fecerit id, quod agere illicitum
& prævum erat, aut hujusmodi. Censura sic lata haud dubie in-
valida est, cum contineat errorem intolerabilem, ut Jura loquuntur
6, Per

1. Pertinas. de Sent. excomm. c. Venerabilibus. §. Potest. eod. in 6. Deinde potest iustitia causæ deesse, quando crimen, ob quod Censura fertur, fuit quidem à parte rei commissum, sed de eo Reus nec est legitime convictus, nec confessus: sic enim causa subsistit solum secundum se, non autem in ordine ad Iudicium, seu Forum externum; & consequenter sententia Censuræ, ob id inflictæ, est nulla. Tandem potest deficere causa, si à parte rei causa seu crimen non subsistat, tamen juridicè contra Reum probetur: tunc enim non adest vera causa ferendi Censuram, benè tamen præsumpta; cum Reus reipsa sit innocens, qui tamen juridicè probatus est nocens. Verùm de hoc ultimo casu loquendo, & pro vera eius intelligentia, sit

39. CONCL. V. Censura lata contra innocentem, qui secundum allegata & probata in Iudicio censetur nocens, etsi re ipsa, & in Foro conscientia, non privet eum communibus Ecclesie Suffragiis, aliisque spiritualibus commodis ac facultatibus (verà enim Censura talis ob defectum causæ est nulla) tamen in Foro externo, atque in facie Ecclesie, debet servari, donec vel ab ea quis fuerit absolutus; vel innocentia ipsius, atque error Censuræ, publicè innotuerit. Ita Covarruvias in c. Alma mater. part. 1. §. 7. n. 5. Navarrus cap. 27. Manual. num. 3. Pirhing n. 41. & alij. Sic quippe habetur c. Si quis à proprio. 12. q. 3. Et S. Gregorius, relatus can. 1. ead. caus. 11. q. 3. ait: *Sententia Pastoris, sive iusta, sive iniusta fuerit, timenda est.* Accedit ratio: quia hoc necesse est ad publicam utilitatem atque disciplinam, ipsamque Iudicis officio secundum allegata & probata iudicantis auctoritatem tuendam; cui bono communi merito bonum privatum postponi debet. Et certè alioquin malevolis lata porta aperiretur, quaslibet Censuras contemnendi; cum dicere possent, se coram Deo esse innocentes, quamvis in Foro externo per falsa allegata & probata sint damnati nocentes.

40. Inferitur proinde, quòd si Clericus innocens, sed secundum publicas probationes à Iudice excommunicatus, actum sui Ordinis postea exerceat, is non contrahat irregularitatem quia reverà excommunicatio fuit nulla. Si tamen in hac de re accusetur, & vincatur, tanquam irregularis à Iudice condemnari potest: cum enim in Foro externo censeatur excommunicatus, consequenter etiam irregularis declarari debet, si in tali excommunicatione celebrasse demonstratur. Quòd si verò talis monitus desistere nolit, tunc de novo verè excommunicari

Censura lata contra innocentem, qui in Iudicio probatur nocens, an sit servanda?

Quid de Clerico innocente, & secundum publicas probationes excommunicato?

cari

cari poterit, propter suam inobedientiam & contumaciam, atque apparentem contemptum Ecclesiasticæ potestatis.

Forma ab-
solvendi à
Censuris,
qua?

41. Quæres, quænam sit forma absolvendi à Censuris?
R. Nulla determinata forma verborum requiritur ad tollendas Censuras, sed sufficit, quibuscunque verbis voluntas absolventis sufficienter significetur. Solet tamen communiter hujusmodi forma observari: *Absolvo te à vinculo excommunicationis, quam incurristi N. (exprimendo causam ipsius) & restituo te sanctis Sacramentis, & communioni Fidelium, in Nomine Patris, &c.* A Suspensionne tantum: *Ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi propter N. (exprimitur causa) & restituo te executioni Ordinum, in Nomine Patris, &c.* Quando verò Censura est dubia, servetur hæc, vel similis forma: *Si tenèris aliquo vinculo excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, absolvo te ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis, & interdicti, in quantum possum, & tu indiges, in Nomine Patris, &c.*

Suspensio, &
Interdictum,
quandoque
non indi-
gent abso-
lutione.

42. Quinimò si Suspensio fuit lata ad determinatum duntaxat tempus, v. g. ad unum, aut duos annos; vel usque ad positionem certæ conditionis, v. g. dicendo, *Sis suspensus, donec satisfeceris*: tunc elapso illo tempore, vel ad impletam conditionem, utputa præstitam satisfactionem, per se ipsam cessat Suspensio, neque opus est aliâ formulâ absolutionis, sive sententiâ restitutionis. *arg. e. Quia sæpè. de Election. in 6. junctâ Glosâ ibidem, &c. Donec.* Idem dicendum de Interdicto taliter lato. Layman *cit. tract. 5. part. 4. cap. 5. n. 1.* Cæterum extra hosce casus necesse est, adhiberi veram absolutionem à Censuris, ab habente legitimam facultatem absolvendi datam; prout, alias rationes tacendo, clarè patet ex Decreto Alexandri VII. inter alias Propositiones sequentem, ordine 44. condemnantis: *Que ad Forum conscientie Reo correcto, & jusque contumaciâ cessante, cessant Censuræ.*

Absolutio à
Censuris, an
possit dari
extra Con-
fessionem,
aut absenti?

43. Tandem sciendum, quòd absolutio à Censuris ab habente potestatem ordinariam, possit dari etiam extra Confessionem sacramentalem, imò & absenti, ac invito. Dicitur, *ab habente potestatem ordinariam*: nam habens potestatem delegatam ad absolvendum à Censuris, debet absolvere juxta tenorem suæ delegationis, ejusque formam exactè observare.

Sannig Diit. 1. de Censuris, quæst.
6. & alij.

QUÆ.

QUÆSTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Pœna Canonica? ubi & de Depositione, Degradatione, & Infamia.

44. **A**Dvertendum, quòd Pœna Canonica latius pateat, quàm Censura Ecclesiastica: siquidem Pœna Canonica respectu Censuræ Ecclesiasticæ se habet, sicut genus respectu speciei; omnis enim Censura Ecclesiastica est etiam Pœna Canonica, non autem econtrà. Hoc prænotato, sit

45. **CONCL. I.** Pœna Canonica est pœna inflicta per Canones, vel secundùm Canones, prohibens vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico, qui alias sibi liceret. Ita Doctor Subtilis 4. dist. 25. quæst. 1. quid?

46. Dicitur, pœna. Quæ particula sumitur latè, prout non tantùm comprehendit pœnam propriè dictam, seu quæ procedit ex culpa, sed etiam irregularitatem absque ulla culpa morali quandoque provenientem: hæc enim habet rationem pœnæ, sicutem largè & impropriè dictæ, in quantum est malum, ac pœnale homini cupienti ordinari, habere ejusmodi impedimentum. Additur autem, inflicta per Canones, vel secundùm Canones: quia quædam Pœnæ Canonice infliguntur ipso jure per Canones, quædam verò per sententiam Judicis secundùm Canones; alioquin enim ejusmodi sententia Judicialis non esset justa, nisi infligeretur secundùm Canones.

47. Dicitur ulterius, prohibens, vel arcens punitum ab aliquo gradu Ecclesiastico. Quia Pœnæ Canonice à priori prohibent hominem à susceptione, vel executione Ordinum: & licet quædam earum, ut Excommunicatio, ac Interdictum, privent ulterius quibusdam alijs bonis spiritualibus, hoc tamen satis denotatur per appositum ly, Arcere. Et additur, qui alias sibi liceret: si enim alioquin talis gradus, vel actus Ecclesiasticus, cuiusmodi non liceret, jam non esset ipsi pœna, eo privari. Hinc quippe non est pœna Laico, vel mulieri, quòd non possit celebrare Missam, eò quòd talis actus aliunde sibi non competat; benè tamen Sacerdoti id foret pœnale.

48. **CONCL. II.** Pœnæ Canonice sunt septem, videlicet Depositio, Degradatio, Infamia, Irregularitas, Excommunicatio, Suspendio, & Interdictum. Ita Scotus loc. cit. & alij; atque

LIII

pate-

Pœna Canonica latius patet, quàm Censura.

Pœna Canonica est pœna inflicta per Canones, vel secundùm Canones.

Irregularitas, quomodo habet rationem pœnæ?

Declaratur ulterius data definitio.

Pœnæ Canonice sunt septem.

816 *Traff. XIII. De Censuris, ac Irregularitate, &c. Distinct. 1.*
patebit ex diversis textibus Juris Canonici in progressu citan-
dis.

Depositiō,
&
49. *Depositiō* est privatio perpetua Clericalis muneris, per
canonicam sententiam cum debita solemnitate prolata.

Degrada-
tio, quid?

50. *Degradatio*, quæ plurimum convenit cum Depositiōe,
est privatio perpetua Clericalis muneris, & privilegij, facta post
canonicam sententiam, adjunctâ reali actione & cæremoniâ per
Canones instituta. Additur, *quæ plurimum convenit cum Depositiōe*;
adeò, ut à nonnullis pro una poena computetur, *arg. c. Degrada-
tio. de Pœnis in 6. ibi: Verbalis degradatio, seu depositiō ab ordinibus: &
notat Fagnanus c. Qualiter. il. 2. n. 76. de Accusar.* Nihilominus est
notabilis differentia inter ipsas: nam Degradatio fit actione rea-
li, & simul includit privationem privilegij Clericalis; quæ duo
in Depositiōe verbali non habentur, prout patebit ex declara-
tione utriusque definitionis.

Et quomo-
do privent
Clericali
munere?

51. Dicitur I. in utraque data definitione, *privatio perpetua
Clericalis muneris.* Quia tam Depositiō, quàm Degradatio, pri-
vat in perpetuum, ac sine spe remissionis, omni munere Clerica-
li; id est, omnibus Beneficijs Ecclesiasticis, nec non & licentiâ ex-
ercendi actum cujuscunque Ordinis. Non tamen privatur quis
Charactere Ordinis, quia hic est indelebilis: neque potestate va-
lidè consecrandi (si fuerit Sacerdos) quia & hæc potestas est sim-
pliciter inimpedibilis: neque facultate validè absolvendi pro
mortis articulo moribundum, quia tunc nulla est reservatio Ca-
suum. Insuper Depositus, aut Degradatus, non liberatur ab
onere recitandi Breviarium, aut servandi perpetuam Castitatem:
ne alioquin ex suo peccato commodum reportet.

Degradatio
privat etiam
omni Cleri-
cali privi-
legio.

52. Dicitur II. in definitione Degradationis, & privilegij:
quæ particula in definitione Depositiōis est omissa. Siquidem
per Degradationem (non tamen per solam Depositiōem verba-
lem) privatur quis tum privilegio Fori, tum etiam privilegio
Canonis. Privilegio quidem Fori, in quantum ejicitur à Foro
Ecclesiastico, & traditur Foro seu Curiz sæculari; ita, ut
deinde sit constitutus sub jurisdictione Magistratus sæcularis, à
quo proin, quasi esset Laicus, poterit capi, incarcerari, ac juxta
Leges Civiles de commissis criminibus puniri: quamvis, dum
Clericus degradatus propter sua crimina traditur Curiz sæcula-
ri, efficaciter pro eo debeat Ecclesia intercedere, ut citra mor-
tis periculum quoad eum sententia moderetur, *c. Novimus. de Verb.
signific.* Privatur insuper Degradatus privilegio Canonis, ita
ut

ut ejusdem invalor, aut percussor, quamvis injultus, non incurrat Excommunicationem latam in percussores Clericorum.

53. Dicitur III. in utraque definitione, post *canonicam sententiam cum debita solemnitate factam*. Tum quia neutra earum infligitur ipso jure, sed quælibet à Judice, seu per sententiam Canonicam debet infligi. Tum quia tam ad Depositionem, quam ad Degradationem, requiritur certa solemnitas à Jure præscripta, quæ refertur in *c. Degradatio. de Pœnis in 6.*

Utraque infligitur primum à Judice.

54. Dicitur tandem in definitione Degradationis, *adjunctâ reali actione*. Quia, ut habetur *cir. c. Degradatio. de Pœnis in 6.* Clericus degradandus, vestibus sacris indutus, & habens instrumenta illa in manibus, quæ spectant ad Ordinem suum, ad Episcopum adduci debet; ab eoque ordine retrógrado (id est, incipiendo ab illo vestimento, quod ultimâ vice in sua Ordinatione acceperat, usque ad primum, quod datur in collatione Primæ Tonsturæ) omnibus suis vestibus, & ornamentis sacris, cum certis verbis exuitur; ac tandem caput illius raditur, vel tonderetur; ne Tonsturæ, vel Clericatus vestigium in eo remaneat: & hisce peractis, Degradatus primum traditur Curie Sæculari. Hæc omnia tamen non reperiuntur in simplici Depositione: nam hæc fit per solam sententiam in criminosos canonicè latam, neque privat omni privilegio Clericali, aut Fori. Abbas *c. Tua. de Pœnis*, ubi insuper notat, quòd isthæc Depositio alio nomine dicatur *Degradatio verbalis*, *c. Degradatio. eod. in 6.*

Forma Degradationis.

55. Quantum attinet ad *Infamiam*, quæ est tertia Pœna Canonica, Advertendum, quòd *Infamia* idem sit, ac privatio seu diminutio bonæ famæ; sive, ut alij loquuntur, arg. l. Cognitio-num. ff. De varijs & extraord. cognition. *Infamia est lesio dignitatis status, vitæ ac moribus reprobatus.*

Infamia quid?

56. Duplex autem communiter assignatur *Infamia*, videlicet *Infamia juris*, & *Infamia facti*. Hæc posterior accidit, quando quis tale aliquid perpetrat, propter quod ejus bona existimatio apud probos & honestos viros læditur, licet jure aliquo expresso non notetur infamâ. *Infamia juris* est, quæ ipso jure infligitur, seu decernitur in certa crimina committentes. Idque adhuc fit dupliciter. nempe dum vel ipso facto *Infamia* contrahitur, vel primum per sententiam Judicis secundum juris declarationem decernitur.

Alia juris, alia facti.

Infamia ju-
ris, ob quæ
crimina cõ-
trahatur ?

57. Quæres, ob quæ crimina contrahatur Infamia juris ?
Resp. I. Regula generalis est, Jure Canonico omnes eos censerit
infames, quicumque Jure Civili habentur infames ; nisi infami-
am Jure Civili introductam Canones speciatim fuitulerint. Pri-
or pars habetur clarè ex *c. Omnes. 6. q. 1.* ubi Hadrianus Papa in-
quit : *Omnes verò infames esse dicimus, quos Leges sæculi infames appel-
lant.* Concordat *c. Infames. 6. q. 1.* ibi : *Infames esse dicimus omnes,
quos Ecclesiastica, vel sæculi leges Infames pronuntiant.* Altera verò pars
probat ex *cap. ult. de Secundis nuptijs* ; ubi infamia Jure Civili, *L. 1. C. de Secundis nuptijs*, decreta mulieri intra annum luctûs nubenti,
fuit sublata.

Quærantur
potiora.

58. Resp. II. Quænam personæ censeantur Jure Canonico
infames, refertur *cit. cap. Infames. 6. q. 1.* Et sunt fures, sacrile-
gi, incestuosi, homicidæ, perjuri, raptores, malefici, venefici,
adulteri, de bellis publicis fugientes, criminibus capitalibus irre-
titi, sepulchrorum violatores, & alij hujusmodi ibidem enume-
rati. Et de talibus loquitur Reg. 87. Juris in 6. *Infamibus potiora
non pateant dignitarum.*

Quomodo
collatur ?

59. Cæterùm Infamia Canonica, quando orta est ex cri-
mine occulto, tollitur per pœnitentiam : secùs, quando ortum
habet ex crimine manifesto ; ut poit Glossam *c. Illi qui. 6. q. 1.* no-
tat Fagnanus in *c. Vestra. n. 37. de Cohabit. Cleric.* Unde Infamiam
juris ex crimine manifesto subortam autoritative tollere, seu a-
bolere, spectat ad Principem, sive ad SS. Pontificem, tanquam
Cond torem Juris Canonici, *arg. c. Cùm te. de Sent. & re judicata*, &
notat idem Fagnanus *c. Vergentius. num. 38. de Hæreticis.*

DISTINCTIO II.

De Excommunicatione, Suspensione, & Interdicto.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Excommunicatio ?

Excommu-
nicatio vi
nominis.
quid ?

I. **E**Xcommunicatio juxta nominis ethymologiam idem
est, ac *extra communionem separatio*. Sed in proposito sumi-
tur ipsa pro *Censura Ecclesiastica*, per quam homo Chri-
stianus

stans à communione Ecclesiae separatur. Dicitur etiam alio nomine *Anathema*: nam *anathema* graecè, significat separationem alicujus à reliquis partibus, & quidem frequentius, prout ejusmodi separatio fit ab Ecclesia, tanquam alicujus execrandi & maledicti; prout haereses & haeretici, aliique peccatores incorrigibiles, ab Ecclesia anathematizantur.

2. Interim licet Excommunicatio, & Anathema, essentialiter non differant (utraque enim importat separationem alicujus ab Ecclesiae communione) differunt tamen quoad solemnitatem: nam excommunicatio quandoque incurritur ipso jure, quandoque profertur per Sententiam Judicis in scriptis comprehensam: Anathema verò cum certis ceremoniis, c. *Devent.* 11. q. 3. praescriptis, ad terrorem caeterorum peragitur. Siquidem debent duodecim Presbyteri Episcopum circumstare, & lucernas ardentes in manibus tenere, quas post latam Anathematis sententiam in terram projiciunt, & pedibus conculcant: cui solemnitati alia quoque maledictiones, & execrationes verbales addi solent. Hinc c. *Cum non ab homine, de Judicijs*, Clericus depositus incorrigibilis primùm excommunicari, deinde verò crescente contumaciâ Anathematis mucrone ferri jubetur.

Excommu-
nicatio, &
Anathema,
an differ-
rant?

Datur in Ec-
clesia pote-
stas ferendi
Excommu-
nicationē,
aliasque
Censuras.

3. CONCL. I. Datur in Ecclesia Catholica potestas ferendi Excommunicationem, ac alias Censuras Ecclesiasticas, jure Divino eidem concessa. Ita omnes Catholici; atque desumitur ex perpetua praxi & sensu Ecclesiae; tum ex illo generali dicto Salvatoris, Matth. c. 16. *Et tibi dabo claves regni caelorum: Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum & in caelis.* Et Matth. cap. 18. *Dic Ecclesia: Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus.*

4. Et tali potestate jam usus fuit D. Paulus Apostolus, dum 1. Corinth. 5. quempiam Sathanæ tradidit, hoc est, excommunicavit, seu ex consortio Fidelium ejecit; prout ipsemet Apostolus ibidem indicat, dicens: *Et non magis luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum, qui hoc opus fecit.* In quem locum D. Augustinus, relatus c. *omnis.* 11. q. 3. ait: *Omnis Christianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur, Sathana traditur. Quomodo? Scilicet, quia extradiabolus est, sicut in Ecclesia Christus. Unde illos, quos tunc Apostolus Sathana esse traditos praedicat, excommunicatos à se esse demonstrat.* Quinimo Scotus 2. dist. 19. q. un. §. *De quinto* notat, in 1. pistolis D. Pauli legi, quòd ipse tribus vicibus excommunicaverit; nempe

D. Paulus
potestate
excommu-
nicandi ali-
quoties usus
fuit.

pe 1. Corinth. 5. ut jam dictum. Et 1. Timoth. 1. ibi: *Ex quibus est Hymeneus & Alexander, quos tradidi Sathana, ut discant non blasphemare.* Et Galat. 1. *Si quis vobis evangelizaverit prater id, quod accepistis, anathema sit.*

Excommu-
nicatio,
quid?

5. CONCL. II. *Excommunicatio est Censura Ecclesiastica, qua homo Christianus à communione Fidelium separatur.* Ita Doctor Subtilis *loc. cit. §. De quinto*, ubi ait: *Excommunicatio simpliciter, que est sola major, est exclusio alicujus a communione fidelium: non quidem exclusio corporalis, que fit in incarceratione, vel exclusione ab alijs; sed excludendo per prohibitionem, ne communicet cum alijs, nec alij cum eo: estque in re communis.* Dicitur, *Censura Ecclesiastica: quæ particula stat loco generis, nam reliqua stant loco differentie.* Et additur, *qua homo Christianus separatur à communione Fidelium.* Tum quia Echnici, & nunquam baptizati, nequeunt excommunicari; cum necdum re ipsa in Ecclesiam fuerint ingressi per Baptismum. Tum quia per hanc particulam Excommunicatio differt ab alijs Censuris Ecclesiasticis, ut magis patebit ex dicendis.

Dividitur in
majorem, &
minorem,

6. CONCL. III. *Excommunicatio ut sic ex parte boni, quæ privat hominem, proprie ac principaliter dividitur in majorem, ac minorem; eò, quòd possit quis à communione Fidelium separari vel ex parte solum, vel ex toto: quamvis si nomen Excommunicationis absolutè ponatur, nec aliud exprimat, illud sit intelligendum de Excommunicatione majori.* Ita Scotus *loc. cit.* estque communis; & habetur *c. Si quem de Sent. excommunic.* ubi dicitur: *Si quem sub hac forma verborum, illum excommunico, vel simili, à Judice suo excommunicari contingat, dicendum est, eum non tantum minori, qua à perceptione Sacramentorum, sed etiam majori excommunicatione, qua à communione Fidelium separat, esse ligatum.*

Absolutè
posita deno-
tat majore-
m.

Excommu-
nicatio mi-
nor, quid?

7. CONCL. IV. *Excommunicatio minor est Censura Ecclesiastica, privans hominem perceptione Sacramentorum.* Ita habetur *ex cit. c. Si quem, de Sent. excomm. juncto c. Si celebrat, de Clerico excommun. &c.* Ubi de excommunicato excommunicatione minori dicitur, quòd non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum (que in sola consistit perceptione) remotus.

Ejus effe-
ctus, quis?

8. Unde infertur, quòd proprius & adæquatus Excommunicationis minoris effectus sit, privare hominem solo usu passivo seu receptione Sacramentorum Ecclesiæ; ac proinde ipsa tantum separet secundum quid à communione Fidelium, videlicet quoad solam Sacramentorum participationem, sive receptio-

tionem. Per quod ea differt ab Excommunicatione majori, quæ longè plures, eósque gravissimos effectus habet, uti patebit ex Quest. seq.

9. CONCL. V. Excommunicatio major, quæ est simpliciter Excommunicatio, benè definitur, quòd sit Censura Ecclesiastica, qua quis à communione Fidelium simpliciter separatur. Ita definitur tum ex Doctore Subtili *loc. cit.* tum ex *cit. c. Si quem de Sent. excommunicat.* Quamvis enim ibidem non apponatur ly, simpliciter: tamen textum illum loqui de separatione totali (id est, quæ fit tum per privationem Sacramentorum Ecclesiæ, tam recipiendorum, quam administrandorum; tum etiam per privationem communium Suffragiorum Ecclesiæ, nec non & convictus Civilis, seu exterioris communionis Fidelium) communiter intelligunt Doctores, prout mox ampliùs explicabitur. Hinc sic

Excommunicatio major, quæ?

QUÆSTIO II.

Qui sint effectus Excommunicationis majoris?

10. **N**otandum hic cum D. Bonaventura in 4. dist. 18. art. 1. q. 1. & alijs, quòd triplex sit Communio Fidelium, nempe purè interna, purè externa, & media seu mixta. Communio, seu Communio Fidelium purè interna consistit in Fide & Charitate, per quam Fideles inter se, & cum Christo Capite suo, mysticè copulantur: & ratione hujus unionis, seu communionis, potest unus Fidelis impetrare alteri de congruo specialia beneficia, eique si cæteròquin capax est, applicare proprias satisfactiones; juxta quod testatur David Psal. 118. *Particeps ego sum omnium timentium te.* Concordat illud Symboli Apostolici: *Credo Sanctorum Communionem.* (a)

Communio Fidelium, triplex. Purè interna.

(a) Vide dicta Tractat. 12.

Distinct. 3.

Quast. 7. per totum. Purè externa.

na.

11. Communio Fidelium purè externa, est merè politica, consistens in Fidelium convictu, colloquio, aliisque commercijs. Et hæc olim prohibita fuit exhiberi excommunicatis excommunicatio majori: verùm hodie post Concilium Constantiense, circa annum Domini 1414. celebratum, per constitutionem Martini V. quæ incipit, *Ad evitanda*, generaliter ejusmodi prohibitio sublata est, exceptis duobus casibus, videlicet nominatim excommunicatis ac denunciatis, & notorijs Clericorum percussoribus.

12. Tan-

Et media,
seu mixta.

12 Tandem *Communio Fidelium media, seu mixta* est, quæ in exterioribus actionibus, seu cæremonijs Ecclesiasticis consistens, internam ac spiritualement fructum ex propria institutione continet. Quò spectat imprimis usus tam activus, quàm passivus Sacramentorum; id est, administratio, & perceptio eorum: deinde communia Ecclesiæ Suffragia, quæ in Sacrificio Missæ, aliisque publicis Officijs, utputà in Horis Canonicis, in Benedictionibus Cinerum, Palmarum, & hujusmodi, pro universa Ecclesiâ ad Deum funduntur. Huc adde satisfactiones Christi & Sanctorum, quæ ex communi Thesauro Ecclesiæ per Indulgentias Fidelibus applicantur. His prænotatis, sic

Ecclesiâ nõ
privat ex
communica-
tione
Fidelium
merè inter-
nâ:

13. CONCL. I. Certum est, quòd Ecclesiâ per Excommunicationem neque velit neque possit quempiam privare communione Fidelium merè internâ, quæ est per Fidem & Charitatem. Ratio est: quia talibus Virtutibus nemo potest privari invitus, & absque propria culpa mortali: Imò vera Fides & Spes potest etiam manere in peccatoribus, ipsisque excommunicatis, si contra hæc Virtutes propriâ voluntate non delinquant. Porro Charitas non tollitur per excommunicationem, sed supponitur jam sublata per peccatum mortale prævium; cum non nisi ob peccatum mortale excommunicatio major infligatur: & potest contingere, ut homo, priusquàm ab excommunicatione absolvatur, per contritionem perfectam redierit in gratiam & amicitiam Dei. Layman. lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 1. n. 3. & alij.

Neque privatis orationibus Fidelium:

14. CONCL. II. Insuper certum est, quòd Ecclesiâ excommunicatum non privet fructu orationum & satisfactionum, quas alij Fideles proprio nomine, ac privatâ intentione ipsi applicant. Ratio est: quia hujusmodi bona opera sunt ipsius operantis propria; ergo spectant ad liberam ejus applicationem, non verò ad dispensationem Ecclesiæ. Unde nemo prohibetur pro excommunicatis privatim Deum orare. (b)

(b) De hoc amplius n. 17.

Bened tamen communione Fidelium tam mediâ quàm purè externâ.

15. CONCL. III. Excommunicatio major privat excommunicatum communione Fidelium tam mediâ, quàm etiam purè externâ, seu merè politicâ, Ita communis. Ratio est: quia non excedit potestatem Ecclesiæ, privare hominem criminofum, & contumacem, communibus Ecclesiæ Suffragijs, utpote suo nomine factis, ac usu Sacramentorum, vel eidem interdiceret externam conversationem & convivium Fidelium. Quo-

modo autem id intelligendum sit, patebit inductione, explicando plerosque effectus Excommunicationis majoris.

16. Primus itaque effectus Excommunicationis majoris est, privare hominem communibus Ecclesiæ Suffragiis, ita ut excommunicato non prosint, neque ea nomine Ecclesiæ possint pro ipso offerri. Porro hujusmodi communia Ecclesiæ Suffragia commodè ad tria capita reducuntur: quæ sunt in primis SS. Missæ Sacrificium; nam illud nomine totius Ecclesiæ offertur. Deinde Indulgentiæ, utpote quæ proveniunt ex commun The- sacro Ecclesiæ. Tandem huc pertinent Orationes publicæ, aliæque actiones sacræ, quæ à Ministris Ecclesiæ, in quantum tales sunt, ac nomine ipsius Ecclesiæ peraguntur: quales sunt Horæ Canonice, Benedictio solemnis Aquæ benedictæ, Candelarum, Palmarum, Consecratio Ecclesiæ vel Altaris, Officium Defunctorum, & hujusmodi.

17. Inferitur proinde cum Navarro 6. 27. Manualis, n. 36. & alijs, peccare eos mortaliter, qui orant pro excommunicato oratione publicâ, aut qui cum eo communicant in Oratione publica, seu nomine totius Ecclesiæ factâ. Verùm hoc intelligendum est de excommunicato non tolerato, sed vitando, uti observat Navarrus. Intelligendum ulterius id est de Oratione publica, seu nomine totius Ecclesiæ factâ: nam orationes privatæ, sub quibus comprehenditur *Memento* in Missâ, à Sacerdote mentaliter orando factum, item & jeunia, aliæque pia opera, quæ non fiunt nomine Ecclesiæ, neque ab ejus Ministris quâ talibus, sed proprio cujuslibet nomine, ac ex privata devotione, non prohibentur fieri pro excommunicatis, juxta dicta *num.* 14. Insuper Feriâ sextâ Parasceves, quo die Christus in Cruce pro suis inimicis oravit, etiam Ecclesia publicè & solemniter orat pro Hæreticis ac Schismaticis, qui tamen sunt excommunicati. Item licitum est, solemniter orare pro extirpatione hæresum; & sic indirectè pro ipsis Hæreticis, ut à Deo convertantur, & hujusmodi.

18. Secundus effectus Excommunicationis majoris est, privare hominem communione Sacramentorum, tam activâ, quàm passivâ; ita, ut excommunicatus licitè, & absque peccato mortali, non possit ullum Sacramentum recipere, vel administrare. Et hoc intelligendum est non solum de excommunicato adhuc impœnitente, utpote qui ratione sui peccati mortalis prohibetur Sacramenta suscipere, vel administrare; sed etiam

M m m m

de

I. Excommunicationis majoris effectus, est privatio communis Ecclesiæ Suffragiorum. Hæc quæ sint?

Corollarium notabile.

II. Privatio communione Sacramentorum, tam activæ, quàm passivæ.

de eo, qui per perfectam contritionem jam rediit in gratiam Dei. Siquidem talis non potest licite, & absque peccato mortali (nisi excuset iusta causa) ullum Sacramentum recipere, vel administrare, donec fuerit absolutus à sua excommunicatione: ageret enim contra præceptum Ecclesiæ, & expressam illius prohibitionem in materia gravi.

Nisi iusta
causa excu-
set; & quæ?

19. Additur notanter, *nisi excuset iusta causa*: qualis foret ignorantia invincibilis, necessitas administrandi Sacramentum ob metum mortis, infamiæ, jacturæ bonorum, ac hujusmodi. Nam si quis excommunicatus, ignorans invincibiliter, se esse excommunicatum, administrat vel recipit Sacramenta, certum est, quòd non peccet mortaliter, ratione ignorantia suæ invincibilis. Similiter, si quis excommunicatus occultus, sibi tamen conscius excommunicationis, urgente gravi necessitate Sacramenta administret, vel recipiat, v. g. ad vitandam mortem, aut scandalum, vel gravem jacturam, non peccabit; dummodò in ejusmodi casu, quo non potest prius obtinere absolutionem ab excommunicatione, perfectam contritionem præmittat receptioni, vel administrationi Sacramentorum. Ratio est: quia

(c) *Tr. 2. Dist. 2. n. 25. & 28.* Lex Ecclesiastica, qualis est de privatione participationis Sacramentorum, tum activæ, tum passivæ, cum tanto rigore non obligat; prout supra (c) jam dictum.

III. Privatio
usûs Divi-
norum Offi-
ciorum.
Divina Of-
ficia, quæ?

20. Tertius effectus Excommunicationis majoris, est privatio usûs Divinorum Officiorum: Ita, ut excommunicatus Missæ, aliisque Divinis Officijs (excepta Concione) non possit licite, & absque gravi peccato interesse. Ubi nomine Divinorum Officiorum intelligitur non solum Missa, sed & cantus Horarum Canoniarum, publica Oratio, Processio, Benedictio olei, aquæ, candelarum, & cætera Ordini Clericali annexa, *excepta Concione*: hanc enim etiam excommunicato non tolerato licet audire, ut sic magis & citius ad poenitentiam exciteretur, *c. Respons. de Sent. excommunicat.*

IV. Privatio
sepulturæ
Ecclesiasti-
cæ,

21. Quartus effectus Excommunicationis majoris, est privatio sepulturæ Ecclesiasticæ. Nam certum est, corpus excommunicati non posse sepeliri in Loco sacro, seu destinato Sepulturæ Fidelium; prout expressè habetur *c. Sacris. de Sepulturis*, allegatâ eâ ratione, quia *quibus non communicavimus vivis, nec debemus communicare defunctis*. Quinimò hac de causa ibidem præcipitur, ut ossa excommunicatorum sepulta in Cæmeterio Ecclesiastico, si possint discerni ab alijs ossibus non excommunicatorum, debeant ex-
huma-

humari, & inde amoveri: secus est, si amplius discerni non possunt.

22. Quod si qui scienter, ac temerarie præsumpserint excommunicationem ipso facto, ac temerarie præsumpserint excommunicationem ipso facto, ut dicitur *Clem. 1. de Sepulturis*. Simulque ante exhumationem ejus, si ossa excommunicati discerni valeant ab alijs, non possunt in illo loco Fidelis sepeliri, neque ibidem Divina Officia celebrari; & post exhumationem (idem dicendum, si corpus excommunicati ibi relictum fuit, eò quòd ab ossibus Fidelium discerni non potuerit) debet locus reconciliari, *c. Consulisti. de Consecrat. Ecclesia*. Siquidem per sepulturam excommunicati Locus sacer fuit pollutus, & ad Divina celebranda Fideliumq; sepulturam factus incapax. Herincx *disp. 6. de Censuris q. 2. n. 30. & alijs.*

Quid juris, si excommunicatus in Loco sacro sepeliatur?

23. Dubitant verò Doctores, an prædictus effectus defactò post Concilium Constantiense locum habeat in solis excommunicatis vitandis, an verò generaliter in omnibus? Ratio dubitandi est: quia in excommunicatis non vitandis videtur cessare ratio ex Jure Canonico superius allata, *quibus non communicavimus vivos, non debemus communicare defunctis*. Nam excommunicatis non vitandis defactò communicamus in vita; & consequenter videtur, eis etiam defactò posse nos communicare defunctis in sepulchro. Et quidem per sepulturam excommunicati tolerati non violari Locum sacrum, ob rationem allegatam, ultrò (d) conceditur: num autem talis in Loco sacro licitè sepeliatur, major difficultas est; ad quam

An hic effectus defactò locum habeat in omnibus excommunicatis?

(d) Tr. 14. Dist. 5. n. 126.

24. Resp. I. Certum est, quòd quando alicujus excommunicatio est publica, & ipse fuit mortuus omninò impœnitens, talis non sit sepeliendus in Loco sacro. Ratio est: quia, cum excommunicatio major non feratur, nisi ob peccatum mortale, qui in ea moritur absque ullo pœnitentiæ signo, censetur notoriè mori in statu peccati mortalis, sicque esse indignus sepulturam Ecclesiasticam. Et hac de causa Hæretici in sua hæresi decedentes non sepeliuntur in Loco sacro: etsi in vivis non fuerint vitandi.

Omninò impœnitens, non est sepeliendus in loco sacro.

25. Resp. II. Utrum excommunicatus, qui ante mortem dedit vera signa pœnitentiæ, possit absque obtentâ prius absolutio- ne mortuus sepeliri in Loco sacro post Concilium Constantiense, si vitandus non fuit, variant Doctores. Et quidè Navarrus *c. 27. Manual. n. 36* & Layman *lib. 1. tract. 5. part. 2. c. 4. n. 9* post Henriquez, putant, talem posse sepeliri in Loco sacro, quando eum piè mortuum esse præsumi potest.

Major difficultas de excommunicato non vitando, & pœnitente.

Solutio.

26. Oppositum tamen videtur probabilius, atque tenendum cum Lud. Engel, *tit. de Sepulturis n. 19.* Herincx *loc. cit. n. 31.* Zoëtio, & alijs, quando excommunicatio est publica: quia tunc excommunicatus prius erit absolvendus, saltem post mortem, verberato, juxta Ricum præscriptum in Rituali Romano, ejus corpore, antequam sepeliatur in Loco sacro: quæ quidem absolutio eò duntaxat tendit, ut hujusmodi defunctus restitatur communioni Fidelium quoad publica Ecclesiæ Suffragia (quæ proinde in posterum pro ipso celebrari, atque offerri poterunt) ipsamque sepulturam Ecclesiasticam. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est: quia Bulla Martini V. in Concilio Constantiensi edita, quæ incipit, *Ad evitanda*, in fine expressè protestatur, quòd *per hoc non intendit, excommunicatos in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari*; ergo publicè excommunicati, sicut olim, *c. A nobis. de Sent. excommun.* ita & nunc privati existunt sepulturâ Ecclesiasticâ, donec absolvantur, non obstante, quòd contriti decesserint. Quòd si verò excommunicatio sit occulta, & non nisi uni vel alteri cognita, non est ipsi neganda sepultura Ecclesiastica: nam eius privatio, cum sit publica, requirit etiam publicam causam, ne aliàs, qui publicè bonus habetur, hac viâ infametur.

V. Incapacitas ad Beneficium Ecclesiasticum.

27. Quintus effectus Excommunicationis majoris, est incapacitas, seu inhabilitas ad quodlibet Ecclesiasticum Beneficium accipiendum. Hinc præsentatio, vel electio alicuius excommunicati, item & institutio, ac confirmatio ipsius in Beneficio, sunt ipso jure irrita; prout habetur *c. Postulasti. de Clerico excommun. vel deposito*, ibi: *Cum excommunicatis communicari non debeat, Clericis excommunicationis vinculo innotatis Ecclesiastica Beneficia conferri non possunt; nec illi valent ea licitè retinere, nisi forsitan cum eis fuerit misericorditer dispensatum; cum ea non fuerint canonicè consecuti, cum concordantijs.* Idque Covarruvias in *c. Alma mater. part. 1. §. 7. num. 3.* Lessius *lib. 2. cap. 34. num. 117.* Layman *n. 7.* & communior aliorum, contra Navarrum, extendunt ad eum casum, quo excommunicatus, etiam toleratus, ignoravit suam excommunicationem: nam licèt ignorantia excommunicationis (dummodò ea probabilis fuerit, & non crassa vel supina) juvet ad effugiendam irregularitatem, aliàsque penas Juris latis contra excommunicatos, quidpiam sibi prohibitum agentes; non tamen sufficit ad habilitandum hominem in ordine ad ea, ad quæ per excommunicationem factus fuit inhabilis.

28. Sex-

28. Sextus effectus Excommunicationis majoris est, quod Rescriptum Sedis Apostolicæ ab excommunicato impetratum, sit ipso jure nullum, ac irritum, *text. clar. cap. 1. de Rescriptis in 6.* Unde hac de causa hodie de Stylo Curia Romanæ plerisque Rescriptis (id est, Litteris Pontificijs quidpiam ad alicujus consultationem, vel relationem respondentibus, aut ad ejus supplicationem concedentibus) præsertim impetratis à Regularibus, solent inferi Absolutio ad cautelam à Censuris, in ordine ad effectum illius Rescripti certius consequendum. Inde enim fit, quod post talem à Censuris absolutionem, datam ad cautelam, postmodum ex hoc capite, quod impetrator illius Rescripti tempore impetrationis fuerit constitutus in excommunicatione, illud nequeat impugnari.

29. Septimus effectus Excommunicationis est: quia excommunicatus privatur omni usu, sive exercitio jurisdictionis spiritualis, ut proinde omnia ejus acta invalida sint. Hinc excommunicatus nequit alium excommunicare, *c. Audivimus. 24. q. 1.* Neque potest conferre Beneficia, *arg. cap. un. Ne sede vacante &c. in 6.* Nec validè eligere, *c. Cum dilectus. & c. Cum inter. 16. de Elect.* ubi electio à suspensis celebrata, censetur irrita: omnis autem excommunicatus, hoc ipso est suspensus ab Officio & Beneficio.

30. Veruntamen istud intelligendum est de excommunicatis non toleratis, seu de vitandis. Siquidem acta excommunicati tolerati valida sunt, quamdiu per oppositam exceptionem non repelluntur; prout notat Navarrus *c. 27. Manual. n. 21.* id probans ex *cap. Ad probandam. de Sent. & re judicat. Pirhing tit. de Sent. excomm. n. 18.* Layman *cit. part. 2. n. 13.* Lessius, & alii. Unde excommunicatus toleratus potest excommunicare, & Beneficia conferre, & eligere, & præsentare, aliâque hujusmodi jurisdictionalia validè exercere, nisi à parte adversa contra eum tanquam minus idoneum excipiat. Accedit ratio: quia ex una parte tales excommunicati tolerantur, & consequenter subsistentur etiam eorum acta (nisi opponatur exceptio) ne alioquin plura incommoda, & inconvenientia oriantur, quæ Concilium Constantiense (e) sublata voluit: ex altera verò parte dictum Concilium ipsos excommunicatos nullatenus in aliquo relevere, vel eis quomodolibet suffragari voluit; ergo sicut antehac. ita & nunc, saltè oppositâ exceptione, eorum acta sunt invalida.

VIII. Privatio
 communicatio
 Fo-
 rensis.
 Limitatur
 in Reo,

31. Octavus est : quia Excommunicatio privat etiam
 communione Forensi ; id est, impedit, quò minus excommu-
 nicatus possit esse Judex, Tabellio, Advocatus, Actor, Testis,
 &c. etiam in causis Civilibus. Hoc tamen non obitante potest
 excommunicatus stare in Judicio ut Reus ; id est, potest in Judi-
 cio conveniri, ibique accusari, & citari : ne alioquin, si accusa-
 ri, & quocunque alio modo in Judicio conveniri non posset, vi-
 deretur de sua malitia commodum reportare, *c. Intelleximus. de*
Judicijs.

Atque ex-
 communi-
 cato non
 vitando,

32. Quinimò & prior pars defactò solùm procedit de ex-
 communicatis vitandis, seu non toleratis : nam si tolerati sunt,
 recurrunt dicta *n. 30.* Et quamvis Judex teneatur excommuni-
 catos non toleratos repellere ab agendo, patrocinando, & tes-
 tificando, ne ipse atque alij illicitè eis communicent, *c. Decerni-*
mus. de Sent. excommun. in 6. junctâ Glosâ ibidem. Si tamen ij
 sunt tolerati, non tenetur Judex eos repellere (etsi possit, du-
 modò excommunicatio sit notoria) donec pars altera desuper
 excipiat, ipsâque excommunicationem, si necdum est noto-
 ria, intra octo dies apertè demonstrat, *arg. cap. 1. de Except. in 6.*
Layman ibidem n. 14. & alij.

IX Inforde-
 feens per
 annum in
 excommu-
 nicatione fu-
 suspectus de
 hæresi,

33. Nonus effectus est, quòd, si quis in Excommunicatio-
 ne per annum continuum inforduerit, hoc est, pertinaciter per-
 stiterit, is fiat suspectus de hæresi : quia videtur contemnere
 potestatem Ecclesiæ, cujus Claves atque Excommunicationem
 non timet. Unde contra talem, *tanquam de hæresi suspectum, proce-*
di potest, ut habetur in Concilio Trident. *Sess. 25. cap. 3. de Reform.*
 Et si quis propter suspicionem hæresis, aut alterius criminis con-
 juncti cum contumacia (ut quia legitime citatus non compa-
 ruit) excommunicatus fuit, atque in tali excommunicatione per
 annum perseveravit, censetur is etiam convictus de illo crimine,
arg. c. Excommunicamus. § Qui autem, de Hereticis, & cum commu-
ni tradit Covarruvias in c. Alma mater. §. 7. n. 16. fusiùs hanc pœ-
 nam deducens.

X. Privatio
 omnis civi-
 lis commu-
 nicationis.

34. Tandem, ut omittantur quidam alij Excommunica-
 tionis effectus minùs notabiles, de quibus Covarruvias *cit. §. 7.*
Layman lib. 1. tract. 8. part. 2. cap. 2. & alij. Excommunicatio ma-
 jor privat excommunicatum omni Civili, seu Politicâ communi-
 catione Fidelium : adeò, quòd non solùm ipsi excommunicato
 sit interdicta quælibet Civilis conversatio, sive communicatio Po-
 litica cum Fidelibus ; sed etiam vicissim alijs Fidelibus prohibi-
 tum

tum sit, ne excommunicati hominis societatem admittere, aut eidem communicare valeant. Alioquin enim, si alij Fideles scienter, & extra casus à Jure concessos, communicarent excommunicato (quod tamen defacto intelligendum est de excommunicato non tolerato, seu de vitando) non solum peccarent, sed etiam ipsimet incurrerent Excommunicationem minorem. Quod, ut melius intelligatur, sit

Hoc procedit de excommunicato non tolerato, sed vitando.

QUÆSTIO III.

Quinam Excommunicati, & in quibus casibus sint vitandi?

35. **P**resens Quæstio procedit solum de excommunicatis excommunicatione majori: nam excommunicati excommunicatione minori duntaxat, nunquam fuerunt vitandi; utpote quæ solum separat excommunicatum à perceptione Sacramentorum, c. Si quem. de Sentent. excommun. Cæterum de prioribus loquendo, defacto communiter distinguunt Doctores, ac dicunt, quod excommunicati alij sint tolerati, quos cæteri Fideles vitare non tenentur: alij non tolerati sed vitandi, quos nimirum alij Fideles tenentur evitare, nisi & ipsi excommunicationem minorem incurrere velint.

Excommunicati alij tolerati, alij vitandi.

36. **CONCL.** 1. Etsi olim omnes omnino excommunicati excommunicatione majori fuerint vitandi, publici quidem publice, occulti verò occultè: hodie tamen post Concilium Constantiense, circa annum Domini 1414. celebratum, ex moderatione Martini V. nulli excommunicati sunt vitandi, nisi sint specialiter & nominatim denunciati, vel nisi sint notorij percussores Clericorum. Ita Herincx disp. 6. de Censuris, quæst. 2. num. 22. estque Doctorum modernorum communis sententia. Prima pars patet ex Jure Canonico c. Cum non ab homine. de Sent. excommun. cum concordantijs. Altera pars constat ex verbis Constitutionis Martini V. in Concilio Constantiensi editæ, quæ incipit, Ad evitanda, & inter alios refertur à Sylvestro, §. Excommunicatio. 5. num. 7. Unde jam more Ecclesiæ receptissimum est, ut non vitemus, nisi duas illas excommunicatorum species, quas prædictum Concilium vitari jussit; & sunt excommunicati nominatim denunciati, deinde notorij percussores Clericorum.

Excommunicati, qui defacto sint vitandi?

35. Notandum verò, quantum attinet ad percussionem Clerici, quod tunc censeatur quis esse Notorius percussor Clerici quando

Notorius percussor Clerici, quis?

quando factum adeò notoriè constat, ut non possit aliquà tergiversatione celari, nec aliquo juris suffragio excusari, prout loquitur Pontifex in cit. Bulla. Unde si percussio Clerici est adhuc occulta, vel factum ipsum potest probabiliter excusari, v. g. si percussor dicat, se percussisse Clericum ex joco, aut inadvertenter, vel nesciendo esse Clericum, talis percussor Clerici etià manifestus, non erit vitandus. Herinex *ibidem* cum alijs.

Casus, in quibus non licet communicare excommunicatis vitandis.

Os.

Orare.

Vale.

38. CONCL. II. Prohibitum est, communicare cum excommunicatis vitandis in ijs casibus, qui hoc vulgato carmine comprehenduntur :

Os, Orare, Vale, Communio, Mensa negatur.

39. Ubi per ly *Os*, intelligitur confabulatio, seu collocutio cum excommunicato, etià si fiat per litteras, vel internuntium, aut alia signa. Similiter ratione hujus particulæ intelliguntur prohibita oscula, amplexus, & alia hujusmodi signa amicitia, nec non & receptio munerum. Bonacina *tom. 1. disp. 2. de Excommunic. punct. 6. §. 2. & alijs.*

40. Per ly *Orare*, prohibetur communio in Sacris, sive in Orationibus, eò quòd non liceat orare simul cum excommunicatis vitandis, neque coram eis Missam celebrare. Quinimò, si excommunicatus vitandus ingrediat Ecclesiam, ut Missam audiat, monendus erit, ut exeat: quòd si nominatim monitus exire noluerit, novam excommunicationem Papæ reservatam incurrit, juxta *Clem. 2. de Sent. excommun.* ac potest etià per vim expelli. Si verò hoc fieri nequeat, erunt omittenda Divina Officia, atque ipsamet Missa; dummodò necdum fuerit inchoatus Canon, aut (ut aliqui volunt) Consecratio: tunc enim oportebit pergere usque ad Sumptionem, ne Sacrificium Missæ maneat incompletum; sed peractâ Sumptione Calicis Sacerdos debet discedere, ac reliqua peragere in Sacristia, vel omittere, si talis locus non adsit. Verùm alijs astantes debebunt illicò in tali casu exire ex Ecclesia, excepto Ministro Altaris; alioquin enim peccarent participando in Divinis cum excommunicato vitando. Bonacina *loc. cit. punct. 3. §. 1. num. 3.* Herinex *disp. 6. de Censuris, quest. 6. num. 28.* Sannig *disp. 2. de Excommun. q. 2. num. 8. & alijs.*

41. Per ly *Vale*, prohibetur omnis salutatio honorifica, etià gestu facta. Notant tamen Doctores, licitum esse, priùs salutantem resalutare; eò, quòd si quædam debiti solutio, quæ etià debetur inimicis.

42. Per *ly Communio*, prohibetur qualibet societas, quæ fit ^{Comitū-} communicando cum excommunicatis vitandis in habitatione, ^{no.} contractibus, aut exercitio: unde non licet inire contractus cum excommunicato vitando, vel idem opus facere cum eo, aut huiusmodi.

43. Tandem per *ly Mensa*, prohibetur communicatio in ^{Mensa;} cibo, & potu: ut quando unus alterum invitat ad mensam, & quid im- cum ipso manducat; etiamsi talis manducatio fiat eo modo, quo ^{portet?} aliqui communem & socialem vitam agentes, simul comedunt: uti fieri solet in Seminarijs, aut Refectorijs Religioforum.

44. CONCL. III. Quicumque absque rationabili causa ex- ^{Communi-} cante scienter communicat excommunicato non tolerato, ^{cans ex-} sed vitando, non solum peccat, sed etiam ipsemet incurrit Ex- ^{communi-} communicationem, saltem minorem, imò quandoque & majo- ^{catō vitand-} rem. Ita communis Doctorum. Et quidem prima pars patet ^{do peccat?} ex eo: quia talis agit contra rationabilem Ecclesie prohibitio- nem, qua verantur ceteri Fideles communicare cum excommu- nicato vitando, ut eò citius respiscat, & ad poenitentiam, at- que condignam læsis satisfactionem præstandam compellatur. Estque tale peccatum pro gravitate excessus quandoque mortale, præsertim si fiat ejusmodi communicatio in publicis Officijs Divinis, quandoque autem veniale: prout communicando in rebus civilibus, & actionibus humanis, ut plurimum peccari tantummodò venialiter, idque ob levitatem materię, notat Fil- licius *tract. 13. cap. 3. num. 44.* Navarrus *c. 17. Manual. num. 29.* Bonacina *loc. cit. punct. 6. n. 5. & alij.*

45. Altera pars patet ex Jure Canonico varijs in locis, ac ^{Atque in-} præsertim ex *c. Excommunicatos. 11. q. 3.* ubi dicitur: *Nullus cum ex-* ^{currit ex-} *communicatis in oratione, aut cibo & potu, aut osculo communicet, aut communi-* ^{cationem;} *Ave eis dicat: quia quicumque in his, vel alijs prohibitis, scienter excom-* ^{municatis communicaverit, juxta Apostolorum institutionem, & ipse simili} *excommunicationi subiacebit.* Hæc ibi; quibus similia habentur alibi.

46. Dicitur in *Conclusionē*, *Excommunicationem saltem mino-* ^{Et qualem?} *rem, imò quandoque & majorem.* Quia plerumque ejusmodi Ex- communicatio est duntaxat minor, & nulli reservata, qualis ob peccatum quoque veniale contrahi potest: nisi quis cum ex- communicato scienter in crimine communicet criminoso; id est, quando quis cooperatur crimini, vel contumeliæ, propter quam lata fuit excommunicatio, ei dem consilium, favorem aut

Nonnum auxiliuro

auxilium impendendo. Tunc enim non solum peccatur mortaliter, verum etiam incurritur excommunicatio major, & quidem reservata, si alterius excommunicatio reservata fuit: cum *facientem & consentientem par pena constringat*, prout statuitur in *c. Nuper & c. Quod in dubijs. de Sent. excommun.* cum concordantijs.

Causæ ab
hoc excu-
santes.

47. CONCL. IV. Sunt tamen aliquæ causæ, excusantes ab omni censura & culpa eos, qui communicant cum excommunicato vitando, quæ referuntur *can. Quoniam multos. 11. q. 3.* & sequenti versiculo communiter continentur:

Utile, Lex, Humile, Res ignorata, Necessè.

Utile.

48. Per ly *Utile*, denotatur utilitas tum spiritalis, tum corporalis, sive ipsius excommunicati, sive communicantis cum eo, vel alterius. Unde licitum est, tam verbo, quam facio, excommunicatum hortari ad resipiscentiam & conversionem: licitum quoque est, ab excommunicato petere consilium pro se vel pro alijs, quando non adest alius, qui possit æquè utiliter consulere: potest insuper ab ipso exigere debitum, imò & ipse excommunicatus potest privatim (secus in iudicio, quia ibi non admitteretur) petere suum debitum ab alijs.

Lex

49. Per ly *Lex*, intelligitur Matrimonium, ratione cuius potest uxor marito excommunicato, etiam denunciato, communicare quoad thorum & cohabitationem, atque in colloquijs familiaribus; in pertinentibus ad gubernationem domus, & in alijs omnibus obsequijs, quæ præstabat uxor ante mariti excommunicationem.

Humile.

50. Per ly *Humile*, denotantur subjecti; ut sunt liberi, servi, ancillæ, & mancipia, atque rustici servientes, de quibus omnibus fit mentio *cit. c. Quoniam multos. 11. q. 3.*

Res igno-
rata.

51. Per ly *Res ignorata*, datur intelligi quælibet ignorantia, qua quis ignoranter communicat excommunicato, sive ea sit ignorantia juris, sive facti, dummodò non sit affectata.

Necessè,
quid deno-
tat?

52. Tandem per ly *Necessè*, intelligitur quæcunque notabilis necessitas, sive se teneat ex parte excommunicati vitandi, sive ex parte communicantis cum eo, aut alterius; sicutque vel necessitas animæ, vel corporis, vel famæ, aut fortunæ. Hinc excommunicatus potest recipi hospitio, potest ei dari elemosyna, & vicissim ab eodem peti, & accipi, quando quis indiget: potest etiam cum eo communicari in eo loco, ubi adhuc est bonæ famæ, si alioquin esset infamandus, & huiusmodi.

QUÆ.

QUÆSTIO IV.

De nonnullis Excommunicationibus in particulari.

53. **N**otandum, quod *Excommunicationes alix sint late sententia*, *Excommu-*
alix primùm ferenda sententia Prioris sunt, quæ i- *nicationes*
plo jure imponuntur, & posito delicto mox incurrun- *late, & fe-*
tur: ut si in lege dicatur, Qui tale delictum commiserit, sit ipso facto *tenda sen-*
excommunicatus, aut hujusmodi. Excommunicationes ferenda senten- *tentia, quæ?*
tie dicuntur ex, quas Legislator comminatur delinquenti, sunt
que primùm per sententiam Judicis imponendæ: ut si dicatur, (d) *Tract.*
Qui tale crimen commiserit, excommunicetur, vel hujusmodi; prout *2. Dist. 2.*
ampliùs supra (d) jam dictum. *n. 35. 36.*
& seqq.

54. **N**otandum ulterius, quod *Excommunicationes alix*
sint reservatæ, alix non reservatæ. Excommunicationes reservatæ
dicuntur, quarum absolutionem Superior (nempe Papa, Episco- *Alix relex-*
pus, vel Prælatus excommunicationem ferens) sibi reservavit: *vata, alix*
unde ab his nemo potest absolvere, nisi ipsemet ille Prælatus, *non relex-*
aut illius Superior, vel qui commissionem absolvendi ab eisdem *vata.*
accepit. Excommunicationes non reservatæ econtrà sunt, quarum
absolutionem sibi Superior non retinuit: unde à talibus quilibet
approbatus Confessarius absolvere potest, idque ex tacita com-
missione Superioris; arg. c. Nuper, de Sent. excommunicat. His præ-
notatis, loquendo de nonnullis Excommunicationibus in parti-
culari, sit

55. **CONCL. I.** Inter *Excommunicationes late sententiæ*, *Bulla Coenæ*
& Summo Pontifici reservatas, in primis sunt Casus Bullæ Co- *Domini,*
næ Domini; quæ Bulla idèd sic dicta est, quia annis singulis in *quæ?*
die Coenæ Domini publicari solet, ac renovari. Eius exemplar
cum in Ritualibus Diocesanis, tum etiam in Bullario Romano,
atque alijs libris passim reperitur, estque Bulla satis longa.

56. **P**orrò *Excommunicationes in Bulla Coenæ Domini in* *Excommu-*
diversas personas feruntur. I. Excommunicantur Hæretici, *nicationes,*
Apostatæ à Fide, receptores, fautores, & defensores Hæretico- *& Casus in*
rum, legentes eorum libros de Religione tractantes, imprimer- *ca contenti*
tes, defendentes, & Schismatici. II. Appellantes à sententiis, & *breviter*
mandatis Summi Pontificis ad futurum Concilium Generale. III. *enumerant-*
Petræ, seu Lateranensis maritimi, eorumque fautores &c. IV. *tur.*
Nonnulli *Rapient*

Rapientes bona naufragantium Christianorum, ubi vis terrarum,
 V. Imponentes nova Pedagagia, seu Gabellas, præter habentes
 auctoritatem ad hoc: ut sunt Imperator, Reges, & Principes
 absoluti in terris suis. VI. Falsificantes Litteras Apostolicas.
 VII. Deferentes arma, & alia usui bellico idonea, ad Saracenos,
 Turcas, & alios Christiani nominis hostes, vel Hæreticos ex-
 pressè & nominatim à Sede Apostolica declaratos. VIII. Im-
 pedientes eos, qui victualia, aut alia necessaria Romam vehunt.
 IX. Afficientes iniurijs eos, qui accedunt ad Sedem Apostolicam.
 X. Vexantes Romipetas. XI. Offendentes Cardinales, &
 Ecclesiæ Prælatos. XII. Offendentes eos, qui ad Romanam
 Curiam accedunt pro negotijs, negotiorumque gestores. XIII.
 Appellantes à gravamine, vel futura executione Litterarum A-
 postolicarum, ad Laicam Potestatem. XIV. Officiales, & a-
 jij, qui causas Ecclesiasticas avocant à Judicibus Ecclesiasticis. XV.
 Judices sæculares, qui personas Ecclesiasticas ad sua Tribunalia
 trahunt. XVI. Impedientes Prælatos, ne jurisdictione suâ Ec-
 clesiasticâ utantur. XVII. Usurpantes jurisdictionem Sedis A-
 postolicæ, aliarumque Ecclesiarum, seu fructus, redditus, & pro-
 ventus earum. XVIII. Imponentes Decimas, vel alia onera
 Personis Ecclesiasticis. XIX. Judices sæculares, qui in causis
 capitalibus Clericorum sese interponunt. XX. Occupantes
 bona & Terras Ecclesiæ Romanæ, & supremam Jurisdictionem
 in illis usurpantes.

Pœna ab-
 solventium
 à Casibus
 Bullæ Cœ-
 næ.

57. Tandem circa finem citatæ Bullæ Cœnæ Domini ad-
 dit Pontifex: *Quod si forte aliqui tenorem presentium, talibus ex-
 communicatione & anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolu-
 tionis beneficium impendere de facto presumpserint, eos excommunicationis
 sententiâ inmodamus.* Circa quæ verba rectè notat Navarrus cap.
 27. *Manual. num. 74.* (ubi à num. 55. & deinceps, explicat Bullam
 Cœnæ Domini) quòd hæc excommunicatio, ejusque absolutio
 non sit reservata Papæ; cum talis reservatio ex littera non pa-
 teat. Deinde, quòd hanc excommunicationem non incur-
 rant ille Confessarius, qui oblivione, incogitantia, vel igno-
 rantia non crassa absolvit: quia fertur in eos, qui absolutionis
 beneficium impendere *de facto* (de jure enim talis absolutio non
 tenet, ob defectum jurisdictionis, cum obstat reservatio)
presumpserint; hoc est, scienter ac deliberatè, non obstante ista
 hac Constitutione, attentaverint. De horum quippe numero
 non

non est, qui absolvit per oblivionem, incogitantiam, aut ignorantiam non crassam.

58. CONCL. II. Inter alias plurimas Excommunicationes, cum reservatas, cum non reservatas, quæ partim in Jure Canonico, partim in diversis Constitutionibus Apostolicis continentur, cæteris frequentior, atque ideo scitu magis necessaria est illa, quæ ipso Jure est lata contra percussores Clericorum. De hac c. Si quis suadente diabolo. 17. q. 4. sic habetur statutum ab Innocentio Papa II. in Concilio Lateranensi: Si quis suadente diabolo hujus sacrilegij reatum incurrerit, quod in Clericum, vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, &c. Concordat Clem. Si quis suadente. de Pœnis. Circa quam Excommunicationem

Excommunicatio in percussores Clericorum lata, declaratur.

59. Notandum I. Per manus violentas, Clerico, aut Monacho injectas, intelligi quamcunque actionem corporalem injuriosam, quæ est mortaliter peccaminosa, & violenter illata personæ Clerici, aut Monachi, vel rebus ipsius corpori adherentibus. Unde hujusmodi excommunicationem incurrit, qui Clericum vel Monachum occidit, mutilat, vulnerat, vel percutit, sive id fiat manu, aut pede, gladio vel baculo.

Injectio manuum violenta, quæ?

60. Quinimò hoc ipsum procedit, etiamsi hujusmodi injuriosa percussio, sive manuum injectio, fiat in Clericum consentientem, atque subjicientem corpus suum certis percussionibus, quamvis hoc fiat in satisfactionem cujuspiam præcedentis injuriæ à Clerico alteri illatæ. Nam etsi talis percussio non esset violenta, utpote exercita in consentientem; adhuc tamen ea foret injuriosa, atque retundans in opprobrium Status Clericalis, cujus favori privatorum pacto renuntiari non potest; prout expressè cavetur c. Contingit. 36. de Sentent. excom. juncto c. Si diligenti. de Foro compet.

Quid, si Clericus sit consentiens?

61. Insuper ille censetur iniecisse manus violentas, atque ipso Jure incurrere memoratam excommunicationem latæ sententiæ, qui Clericum injuriosè (licet absque alia læsione corporali) detinet in custodia publica vel privata, aut eum detruddit in vincula, c. Nuper. de Sent. excom. Item, qui sputum aut pulverem in faciem ejus projicit, vestimenta ipsi adhærentia dilacerat, aut violenter detinet, & hujusmodi. Sectus est, si detineantur, dilacerentur, aut percutiantur vestimenta Clerico non adhærentia; utputà si Clericus fugiens amittat pileum, & alter pileum ex ira dilaceret, aut verberet.

Alij modi violentæ manuum injectionis.

quid de
eam mani-
dancibus;
consulen-
tibus, rati-
habenti-
bus?

62. Ulterius, licet ex textu citati Canonis comprehendantur soli physice offendentes Clericum vel Monachum, tamen ex alijs Canonibus extenditur hæc Excommunicatio etiam ad mandantes, consulentes, auxiliūve præbentes ad percussionem Clerici, dummodo effectus sit securus, c. *Quanta, de Sent. Excom.* Nam *facientes & consentientes pari poenā plectendi sunt*: ut ibidem dicitur; idque clarius habetur *Clem. Si quis suadente, de Poenis*. Item ad eos, qui ratam habent offensionem Clerici suo nomine factam, *ext. clar. c. Cum quis, 2^a. de Sent. excommunicat. in 6.* Quia, ut ait Reg. 10. Juris in 6. *Ratificationem retrahit, & mandato non est dubium committi.*

Clerici, &
Monachi
nomine, qui
hic intelli-
gantur?

63. Notandum II. Quod nomine Clerici, hic intelligantur omnes saltem primā Tonsurā insigniti, dummodo Privilegio Canonis privati non existant. Nomine autem Monachi, hic intelliguntur omnes omnino Religiosi & Religiosæ, sive Viri sive Moniales sint; eorumque Conversi & Conversæ, imò etiam Novitij & Novitiæ. His addit Herincx *disp. 6. de Censuris, q. 2. num. 56.* Canonistas sæculares (vulgò, *Die Stiff, Bräulein*) quamdiu Præbendam retinent, & in habitu Ecclesiastico, patenter à sæcularibus foeminis distinctivo, incedunt. Item gaudent hoc privilegio Canonis Tertiarij, & Tertiariæ Ordinis S. Dominici, & S. P. N. Francisci, qui assumpto habitu Monachali se mancipaverunt obsequio alicujus approbatæ Religionis sub obedientia Superioris. Secus dicendum de Eremitis illis, qui sub nulla Regula & obedientia Superiorum vivunt, sed sunt vagi, & nullam specialem Ecclesiasticam obligationem habent.

Odia re-
stringi, &
favores
convenit
ampliari.
Declaratur.

64. Si dicas: Juxta Reg. 15. Juris in 6. *Odia restringi, & favores convenit ampliari*: Atqui *can. Si quis suadente, 17. q. 4.* veritatur in materia odiosa videlicet excommunicationis ipso facto incurrendæ; ergo non debet extendi ad omnes dictas personas, sed restringi ad solos Clericos & Monachos, utpote de quibus duntaxat Canon citatus expressè loquitur. Resp. cum Abbate c. *Non dubium, de Sent. excom.* distinguendo min. Atqui Canon ille versatur in materia odiosa ex parte percipientis, transeat (nam & hoc in dubiū verti possit, cum excommunicatio sit medicinalis, cap. 1. eod. in 6.) versatur in materia odiosa ex parte Clericorum, Scatūque Clericalis, negatur min. Sic enim is continet favorem, cum privilegium Canonis sic concessum non tam in favorem Clerici ordinati, quam in favorem Ordinis Clericalis, ut dicitur c. *Contingit, 6. de Sent. excom.* ac proinde merito extendendum. Hæc responsio, ut melius intelligatur,

65. Ad

65. Advertendum, quod plerumque, dum uni quidpiam favorabiliter conceditur, id alteri adimatur; ac proinde, quod uni est favor, id alteri soleat esse odium. Ad dignoscendum igitur, quænam materia sit favorabilis, & quænam odiosa, Doctores apud Covarruviam lib. 1. var. resolut. cap. 11. num 5. & Sanchez lib. 1. de Matrim. disp. 1. num. 4. sequentes assignant Regulas.

66. I. Quoties favor & odium distingui, atque ab invicem separari possunt, favor ut favor, & odium ut odium assumi debet: ac proinde ejusmodi Constitutio, qua parte est favorabilis, debet latè explicari, & qua parte est odiosa, debet censei strictæ interpretationis.

67. II. Quando Constitutio partim est favorabilis, partim odiosa, simulque favor ab odio separari nequit, tum ut dignoscatur, an sit favorabilis nec ne, attendere oportet ad principalem intentionem disponentis. Et si quidem principaliter in favorem alicujus statuta sit, Constitutio censetur omninò favorabilis, non obstantè, quòd in aliquod damnum, sive odium tertij redundet. Si autem principale intentum Constitutionis tendit in alicujus odium, seu poenam, Constitutio censetur simpliciter odiosa, estque strictè interpretanda, haud obstante, quòd simul cedat in aliqualem favorem tertij: siquidem ex primario suo fine mensuranda, & dijudicanda est ipsamet dispositio.

68. Hoc ad propositum applicando, cum Canon, si quis suadente. 17. q. 4. principaliter latus fuerit in favorem Status Clericalis & Monachalis, eò quòd in ejus opprobrium & damnum cedat, injustè ab alijs verberari, atque iniquis vexationibus corporalibus malevolòrum passim obnoxios esse Clericos & Monachos, cæteroquin inermes: hac ratione Constitutio illa censetur favorabilis, ac proinde extenditur etiam ad Conversos, Novitios, & alias personas enumeratas. At verò respectu ipsius criminis, seu injuriæ censetur odiosa, & strictè interpretanda: unde non sufficit solus conatus, aut sola injuria verbalis, sed requiritur vera læsio corporalis: sive injectio manuum injuriosa.

Unde ulterius
69. Notandum III. Quòd ad incurrendam hanc Excommunicationem requiratur injuriosa percussio, & quæ spectatis circumstantijs sit peccatum mortale. Unde ab hac Excommunicatione excusatur primò, qui tam leviter, aut ex joco vel ex subita cholera percutit Clericum, ut vel ratione parvitatæ ma-

Ratio diff. cultatis.

Regula I.

Regula II.

Canon, Si quis suadente. an sit favorabilis, nec ne?

Qualis percussio requiratur ad incurrendam dictam Excommunicationem?

teriz, vel ratione inadvertentiz, seu indeliberationis, non peccet mortaliter; prout *cap. 1. de Sent. excom.* habetur, atque inter alia exemplificatur de impubere Clericum percutiente.

Casus, in
quibus ea
non incur-
ritur.

70. Deinde excusatur, qui percutit Clericum causâ correctionis & disciplinæ, habens ad hoc legitimam facultatem. Ut si Magister Clericum Scholarem correctionis causâ percutiat, *cit. c. 1. de Sent. excom.* Vel si Prælati subditum percutiat causâ disciplinæ: quia talis correctio non potest censerî violenta manuum injectio. Insuper excusatur, qui Clericum vim sibi inferentem, aut sua bona auferentem, percutit cum moderamine inculpatæ tutelæ: nam *vim vi repellere, omnes leges omniâque jura permittunt*, uti notatur *c. Si verò 3. de Sent. excom.* Rursum excusatur ab excommunicatione, qui percutit Clericum, quem invincibiliter nescit esse Clericum, *cit. c. Si verò.* Item ille, qui Clericum contempto Clericali habitu tyrannidi, & enormitatibus, se invicundè immiscentem captivat, percutit, aut occidit, *c. Cum non ab homine. & c. Perpendimus. eod.* Idem accidit in alijs nonnullis casibus, rarioribus tamen, de quibus Authores.

Aliæ Ex-
communi-
cationes,
remissivæ.

71. CONCL. III. Plurimæ aliæ Excommunicationes, tum reservatæ, tum non reservatæ, habentur in Jure Canonico, & alijs Constitutionibus Ecclesiasticis passim, quas omnes ob sui multitudinem enumerare difficile foret: in casu tamen emergentiæ de iisdem consulantur Libri de hac materia copiosius tractantes.

An possit
quis sæpius
excommu-
nicari?
Solvitur in-
stantia.

72. Quæres, an quis sæpius possit excommunicari? Resp. affirmative, *arg. c. Cum pro causa de Sent. excom.* & notat Glossa *in c. Engeltrudam. 3. q. 4.*

73. Nec obstat, quòd ejectionis ex Ecclesia, non possit amplius ejici; sicut & occisus nequit iterum occidi. Resp. enim cum *cit. Glossa*, excommunicationem habere duos effectus, unum ejiciendi extra Ecclesiam, & alterum detinendi extra. Et licet excommunicatio posterior non possit consequi primum effectum in jam excommunicato, benè tamen secundum.

Corollarium.

74. Infertur proinde conformiter dictis, quòd ligatus pluribus excommunicationibus, possit absolvi ab una, & non ab altera; & qui verè vult absolvi ab omnibus, omnem causam, pro qua, vel quibus fuit excommunicatus, debeat exprimere, *arg. cit. c. Cum pro causa. de Sent. excom.* junctâ Glossâ *ibidem*, *¶. Tanquam excommunicat.*

75. Nec

75. Nec obstat, quòd unum peccatum non dimittatur sine altero, arg. 6. *Majores. §. Sed adhuc. de Baptismo, ibi: Dominus, qui totum hominem salvum fecit in Sabbato, opus imperfectionis non novit; & ab hoc peccata non ex parte, sed ex toto dimittit.* Resp. quippe cum Fagnano incit. 6. *Majores. num. 62.* disparitatem esse, quia absolutio à peccatis est actus Divinus, qui non debet esse absque perfectione: secus est de absoluteione ab excommunicatione, quæ est actus humanus Ecclesiæ, utpote per quam introducta est excommunicatio.

Solvitur a-
lia iusta a-
tia.

Q U Æ S T I O V.

De Suspensione, & varijs ipsam atinentibus.

76. **C**ONCL. I. *Suspensio* est Censura Ecclesiastica, qua prohibetur seu arceatur Minister Ecclesiæ ab aliquo actu Ecclesiastico aliàs sibi competente, & hoc ad tempus. Ita Doctor Subtilis in 4. dist. 25. q. 1. estque in re communis. Dicitur, qua *Minister Ecclesiæ*, id est, Clericus: quia *Suspensio* est Censura propria Clericorum, & quæ Laicis non competit, quamvis Excommunicatio, & Interdictum sint Censuræ Clericis & Laicis communes. Dicitur ulterius, arceatur ab aliquo actu Ecclesiastico: quia hic est proprius & adequatus effectus suspensionis, scilicet privare Clericum exercitio actus Ecclesiastici cæteroquin sibi competentis, ut non possit illum licitè, & absque peccato exercere. Et per hoc differt *Suspensio* à cæteris Censuris, quæ plures alios & distinctos effectus habent, ut patet ex singularum explicatione.

Suspensio,
quid?

77. Additur tandem, & hoc ad tempus. Per quod *Suspensio* differt à Depositione, ac Degradatione, quæ privant ministerium Ecclesiasticorum in perpetuum, & absque spe restitutionis.

Differt à
Depositione,
& Degradatione.
Suspensio
latæ, & fer-
rendæ senten-
tiæ.

78. **C**ONCL. II. *Suspensio* variè dividitur. Ita omnes, & patet inductione. Nam imprimis *Suspensio* alia est lata sententiâ, quæ scilicet ipso Jure infligitur delinquenti: alia ferendæ sententiæ, quæ primum per sententiâ Judicis ob commissum delictum infligitur. (e)

(e) Vide
dist. Tr. 2.
Dist. 2. n. 2.
35. 36. &

79. Deinde ipsa dividitur in *Suspensionem* ab officio, & à beneficio. *Suspensio ab officio* est, qua Clerico interdicitur executione suorum Ordinum, aut aliarum functionum, quæ ipsi ratione Ordinis, aut muneris Clericalis competunt. *Suspensio à beneficio*, aut

segg.
Suspensio ab
officio &
Beneficio.

Q O O O O

dicitur, qua fructus sui Beneficij Ecclesiastici Clericus percipere prohibetur; prout amplius declarabitur in Conclusionibus.

Totalis, & partialis, quid?

80. Ex his utraque *Suspensio* subdividitur in totalem, & partialem. *Totalis* est, qua quis ab omni prorsus officio Ecclesiastico, vel à perceptione omnium omnino fructuum Beneficialium suspenditur, seu arcetur. *Partialis* est, qua vel unus specialis actus officij Ecclesiastici Clerico prohibetur: ut si Sacerdos ab exceptione Confessionum, aut Episcopus à collatione Ordinum suspendatur; nam talis potest alios actus Ordinis sibi competentes exercere, utputà celebrare Missam, & hujusmodi. Vel (loquendo de Suspensione partiali à Beneficio) si Clerico Beneficario certa duntaxat pars fructuum Beneficialium subtrahatur, v. g. tertia, vel quarta solummodò pars eorum.

Suspensio ab officio non includit Suspensionem à Beneficio, nec econtrà:

81. CONCL. III. Censura Suspensionis est strictæ interpretationis; ac proinde Suspensio ab officio, per se non includit Suspensionem à Beneficio, nec econtrà. Ita Ludov. Engel *tit. de Sent. excomm. num. 75.* Navarrus *cap. 27. Manual. num. 160.* & alij. Ratio est: quia Suspensio est pœna, ob commissum delictum inflicta: atqui pœnæ sunt strictæ interpretationis; nam odia restringi, & favores convenit ampliari, juxta Reg. 15. Juris in 6. simulque in pœnis benignior est interpretatio faciendâ, Reg. 48. Juris in 6. Ex quibus mox sequitur, Suspensionem ab officio non includere, per se loquendo, Suspensionem à Beneficio, nec econtrà: habent enim diversos effectus, & ab invicem separabiles.

Per se loquendo.

82. Dicitur, *per se loquendo*. Nam, si Suspensio ab officio sit perpetua, & in effectu Deposicio, tunc taliter suspensus per sententiam Judicis, meritò etiam privandus erit Beneficio: cum Beneficium detur propter officium; quod tamen in perpetuum suspensus, amplius exercere non potest. Intellige, dummodò ipsi suspensò præstentur alimenta ab Ecclesia, ne in opprobrium Ordinis Clericalis mendicare cogatur.

Idem die de Suspensione ab Ordine, & jurisdictione.

83. CONCL. IV. Similiter suspensus ab Ordine, non censetur suspensus à jurisdictione Ecclesiastica, nec econtrà. Ita cit. Engel *num. 76.* estque communis Doctorum. Ratio patet ex proximè dictis: quia Suspensio est strictæ interpretationis, ac proinde non extendenda ultra verborum proprietatem. Hinc Episcopus suspensus ab Ordine, licet Confessiones audire non possit, alteri tamen potestatem absolvendi, seu Confessiones audien-

diendi delegare non prohibetur : nam hoc spectat ad potestatem jurisdictionis, illud ad potestatem Ordinis.

84. CONCL. V. Nihilominus, si absolute & sine limitatione suspensio imponatur, neque ex adjunctis limitatio aliqua colligi possit, censetur ea esse simpliciter totalis. Ita Herincx ^{Suspensio absolute lata, censetur totalis.} Ratio est : quia ex vi sermonis, propositio indefinita æquivaleret universali ; simulque tunc non est ratio, cur potius suspensio de uno, quam de altero, lata intelligatur.

85. Infertur proinde, quod suspensus absolute sine ulla determinatione, intelligatur suspensus tam ab officio, quam à Beneficio. Infertur ulterius, quod simpliciter & absolute suspensus ab officio, censetur suspensus tam ab Ordine, quam jurisdictione : quia officium includit utrumque, nec est major ratio de uno, quam de altero. ^{Corollarium.}

86. Dicitur, si absolute & sine limitatione &c. Nam si suspensio feratur determinate ad certam materiam, ut puta super certum actum Ordinis vel jurisdictionis non exercendum, fatentur omnes, eam ultra ejusmodi actum non esse extendendam : cum poenæ non sint extendendæ ultra verborum proprietatem. Sic suspensus à Confessionibus audiendis, potest celebrare Missam, officium Diaconi solemniter exercere, ac hujusmodi. ^{Secus, si suspensio feratur determinate.}

87. CONCL. VI. Suspensus ab Officio, si actum sibi interdium culpabiliter exerceat, contrahit Irregularitatem, ^{c. 1. de Sent. & re judicat. in 6.} At verò suspensus à Beneficio, si eidem se ingerat, & fructus percipiat, non efficitur irregularis, perdit tamen Beneficium ipso jure, ^{arg. c. Cupientes. §. Ceterum. de Regularis?} ^{l. 1. in 6. Engel loc. cit. num. 78. Pirhing. de Sent. excommun. num. 209. & alij.}

88. CONCL. VII. Omnes, & soli Clerici, præter Papam, Suspensionis Censuram incurrere possunt. Ita Layman ^{lib. 1. tract. 5. part. 3. c. 1.} contra Henriquez, qui existimat, etiam in Abbatissam Suspensionis censuram cadere posse. Patet Conclusio ex definitione Suspensionis. ^{n. 76. & seq. explicatâ.}

89. Nec urget instantia de Abbatissa. Nam ipsa solum suspendi potest ab officio suæ Oeconomix, ejusque actibus ; non verò ab actu aliquo Ecclesiastico, cum sit incapax omnis Ordinis. ^{Qui suspensionem possunt incurrere?} ^{Solvitur instantia.}

QUÆSTIO VI.

Quid, & quotuplex sit Interdictum, & qualis effectus
ipius?

Interdi-
dictū, quid?

90. **C**ONCL. I. *Interdictum* rectè definitur, dicendo: Interdictum est Censura Ecclesiastica, per quam prohibetur participatio certorum Sacramentorum, Divinorum Officiorum, atque sepultura Ecclesiastica. Ita in re communis.

Quomodo
differat ab
Excommu-
nicatione,
& suspen-
sione?

91. Differt autem Interdictum ab Excommunicatione, quòd hæc multò gravior existat, utpote removens Fidelem non solum à participatione Sacramentorum, sed etiam à communibus Suffragijs Ecclesiæ, ipsaque communione Fidelium. Item Excommunicatio non fertur in loca, aut integras Civitates: secus accidit in interdicto locali. Differt etiam interdictum à Suspensione: nam hæc fertur in solas personas Ecclesiasticas; Interdictum verò etiam in Laicas ferri potest. Omittuntur aliæ differentię.

Interdictū
locale,

92. **C**ONCL. II. Interdictum dividitur in locale, personale, ac mixtum. Ita omnes Doctores, & patet inductione. Siquidem *Interdictum locale* dicitur illud, quod directè fertur in locum, quatenus in ipso interdiciuntur, seu prohibentur fieri Divina Officia, & hujusmodi. Et istud subdividitur in generale, & particulare. *Interdictum locale generale* est, quo interdicitur locus, varia sub

Generale, &
Particulare,
quid?

se loca complectens, v. g. Regnum, Provincia, Civitas. *Interdictum locale particulare* dicitur, quo interdicitur particularis aliqua Ecclesia. Porro Interdictum locale indirectè tantum afficit personas, dum scilicet sunt in tali loco, vel Ecclesia: unde, si ejusmodi personæ alibi existant, possunt ibidem Officijs Divinis interesse, Sacramenta recipere, atque in Loco sacro sepeliri.

Interdicta
Civitate
sententur
interdicta
Suburbia
&c.

93. Et quidem loquendo de Interdicto locali, sciendum ex *c. Si civitas, de Sent. excomm. in 6.* quòd interdicta Civitate, Castro, aut Villâ, etiam Suburbia, & continentia ædificia ipsorum intelligantur interdicta: ne cæteroquin Interdicti sententia vilipendatur, si possent in prædictorum Suburbijs Divina celebrari; cum incolæ ad eadem absque labore excurrentes, Interdicti vim passim eluderent.

94. Et

94. Et ob eandem rationem, si Ecclesia Interdicto subje-
ta existat, neque in Capellis ejus Divina celebrari, neque in Cæ-
meterio eidem Ecclesiæ contiguo sepeliri poterit: secus, si eidem
Ecclesiæ contigua non sint, prout subjungitur *cit. c. Si civitas. de*
Sent. excomm. in 6. Porro contigua dicuntur ea, quorum extrema
invicem se contingunt, ut ait Glossa ibidem: sive, ut alij loqu-
untur, quando inter parietem Ecclesiæ ipsamque Capellam, vel
Cæmeterium, nihil aliud interponitur.

95. Interdictum personale est, quod immediatè & directè fer-
tur in personam; per quod videlicet certa persona arcetur à
participatione quorundam Sacramentorum, Divinorum Offi-
ciorum, ac sepulturæ Ecclesiasticæ in quocunque loco. Unde
hujusmodi Interdictum sequitur personam, quocunque ierit, si-
cut umbra comitatur corpus, & lepra leprosum, *arg. c. Si sententia.*
§. Cum verò. de Sent. excomm. in 6. Ubi additur, quòd si populus ali-
cujus terræ Interdicto notetur, singulares personæ interdicti cen-
seantur, ne alioquin sententia effectum careat.

96. Tandem Interdictum mixtum dicitur illud, quo locus, ac
personæ simul interdicuntur: ut si interdicatur Civitas, & om-
nes incolæ ejus. Unde Interdictum mixtum includit locale, &
personale simul.

97. Cæterum quoad Interdictum personale est notandum,
quòd, si sententia Interdicti proferatur in Clerum, non censeatur
interdictus Populus; nec econtrà Interdicto Populo, censeatur
Clerus interdictus, *text. clar. cit. c. Si sententia. de Sent. excomm. in 6.*
Unde uno ipsorum Interdicto alius licitè admittitur ad Divina
siquidem in materia pœnali, & odiosa, qualis est hæc, verba sunt
strictè interpretanda, juxta Reg. 15. Juris in 6. *Odia restringi, &*
favores convenit ampliari. Et Reg. 26. eod. *In pœnis benignior est inter-*
pretatio faciendâ. Addunt Doctores, quòd sive Clerus, sive Po-
pulus alicujus loci interdicatur, non comprehendantur Religio-
si utriusque sexûs, nisi exprimantur: nam etsi in materia favora-
bili nomine Cleri contineantur etiam Religiosi utriusque sexûs,
secus tamen est in materia odiosa; idque per textus proximè al-
legatos, junctâ *Clem. 1. de Supplenda neglig. Pralat.* ubi ista ponuntur
tanquam diversa; & concordantijs.

98. CONCL. III. Triplex est effectus Interdicti, videlicet
privatio participationis quorundam Sacramentorum, prohibi-
tio Divinorum Officiorum, & tandem privatio sepulturæ Eccle-
siasticæ. Ita Doctores communiter; & patet non solùm ex defi-

Ooooo 3

nitio.

nitio Interdicti superius positâ, sed etiam ex diversis textibus Juris Canonici in progressu allegandis.

I. Privatio participationis quorundam Sacramentorum.

99. Quantum attinet ad primum effectum Interdicti, notandum, quod privatio participationis quorundam Sacramentorum sit intelligenda de participatione talium Sacramentorum tam activâ, quam passivâ; ita, ut illa nec licitè possint administrari, nec licitè recipi tempore Interdicti, aut à persona interdicta.

Et quorum?

100. Et dicitur notanter, quorundam Sacramentorum. Nam tempore Interdicti localis, sive illud sit generale, sive particulare, non prohibetur administratio, & receptio omnium Sacramentorum, sed aliquorum duntaxat; videlicet Sacramenti Extremæ Unctionis, Ordinis, Eucharistiæ extra articulum mortis, ac etiam Benedictio nuptialis: quamvis juxta sacis probabilem sententiam, Matrimonium sine Benedictio nuptiali licitè possit contrahi.

Quid de Baptismo, & Confirmatione.

101. Sciendum proinde, quod Sacramentum Baptismi, & Confirmationis licitè possit conferri, & recipi ab interdictis, ac etiam in loco interdicto, ut habetur *c. Responso. de Sent. excom. & c. Quoniam. & c. Alma Mater. eod. in 6.* Siquidem Baptismus est Sacramentum summè necessarium ad salutem; Confirmatio autem est quasi complementum Baptismi, cum detur ad confirmandam, & fortiter profitendam Fidem Christianam in Baptismo susceptam. Et ob hoc *cit. c. Quoniam. eod. in 6.* habetur, quod tempore Interdicti Chrisma in die Coenæ Domini confici queat: quia vetus Chrisma non debet esse usui; & concessio principali censetur concessum accessorium, nempe confectio Chrismatum pro administratione dictorum Sacramentorum requisiti.

Et confectio Chrismatum?

102. Similiter Sacramentum Pœnitentiæ potest tempore Interdicti, non solum morientibus, sed etiam sanis (dummodò non fuerint excommunicati, nec sint in causa culpabili, ob quam latum est Interdictum) licitè administrari, *cit. c. Alma mater. de Sent. excom. in 6.* eò quod & istud Sacramentum sit valdè necessarium propter pronitatem, quam habent homines ad peccandum. Sacramentum verò Eucharistiæ non nisi in mortis articulo (vel probabili periculo mortis) ministrari potest, *arg. c. Quod in te. de Penit. & remiss.*

Item de peccantia.

Et Eucharistia?

II. Prohibitio Divinorum Officiorum.

103. Secundus effectus Interdicti, qui est prohibitio Divinorum Officiorum, hoc involvit, quod tempore Interdicti intelligatur esse prohibita celebratio, & auditio Divinorum Officiorum.

ciorum. Porrò nomine *Divinorum Officiorum* comprehenditur eiorum; & non solum SS. Missæ Sacrificium, sed & (f) omnis publica & so- quorum? lemnis Oratio, quæ ab Ecclesia instituta est, quòd à Clericis ad (f) *Confor-* Dei laudem exercentur: cujusmodi sunt solemnes Benedictio- miter di- nes Aquæ benedictæ, Cinerum, Palmarum, & Candelarum, quæ tis supra, nomine, & auctoritate Ecclesiæ à Sacerdotibus fiunt. Item Ho- n. 20.] raræ Canonice, si publicè legantur: quod ultimum idcirco addi- tur, quia privatim tenentur Clerici, ad Horarum Canonice recitationem obligati, eas recitare, non obstante Interdicto locali, vel personali.

104. Nihilominus hæc tam ampla *Divinorum Officiorum* Limitatur prohibitio postmodum limitata fuit in *cit. c. Alma mater*. Ubi hoc, dicitur, quòd quando Civitas, vel locus alius Interdicto subja- cer, singulis diebus in Ecclesijs & Monasterijs Missæ celebrentur, & alia dicantur Divina Officia sicut prius, submissâ tamen voce, januis clausis, excommunicatis & interdictis (intellige, nisi habeant speciale privilegium, nec dederint causam Interdicti) exclusis, & campanis non pulsatis. In Festivitatibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & Assumptionis Virginis Gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis apertis altâ voce Divina Officia solemniter celebrentur, excommunicatis tamen prorsus exclusis, sed interdictis admittis.

105. Tertius effectus Interdicti, est privatio sepulturæ Ec- III. Privatio clesticæ. Et hic effectus intelligendus est, ut in *Loco sacro* sepulturæ Interdicto nullus possit sepeliri, nisi habeat privilegium: quale Ecclesiasti- datur (ut alij privilegiati taceantur) omnibus Clericis, qui tem- ca. pore Interdicti generalis illud servaverunt, ad hoc, ut cum silen- tio possint sepeliri in *Loco sacro*, *text. clar. c. Quod in te. de Penit. & remiss.*

106. Nihilominus tempore Interdicti localis generalis (se- Declaratur cùs in personali, vel si alicujus terræ populus interdicto notetur; hic effectus nam etiam tunc singulares personæ censentur interdictæ, *c. Si sententia. de Sent. excomm. in 6.*) possunt homines illius loci, qui personaliter interdicti non sunt, extra illum locum efferri, & in alio loco non interdicto sepeliri, imò & ibidem iateresse Divinis, *cit. c. Si sententia.*

107. Insuper si quis sepultus fuerit extra Locum sacrum Casus pra- tempore Interdicti, cessante Interdicto in Locum sacrum est ctici circa hoc. transferendus, si id commodè fieri potest; ut post Glossam in *c. A nobis. 28. de Sent. excomm. 7. Forma*, notat Navarrus *cap. 27. Man.*

num. 176. Quòd si verò contingat, contra prohibitionem Juris aliquem interdictum sepeliri in Loco sacro, non erit is extrahendus: quia hoc non habetur Jure statutum. *Glossa cit. & Engel loc. cit. num. 96.* Nec obstat, quòd secus sit dicendum de excommunicatis; quippe qui, in Loco sacro sepulti, debent exhumari, *c. Sacris, de Sepult.* Nam hæc pœna non est extendenda ad alium casum Jure non expressum: simulque Excommunicatio privatæ communione Fidelium, non verò Interdictum.

Cessatio à
Divinis,
quid;

108. Quæres, quid sit Cessatio à Divinis? Resp. cum communi. *Cessatio à Divinis* (quæ & *Suspensio Organorum*, id est, laudis Divinæ dicitur) est Ecclesiastica prohibitio, ob quam Clerici cessare debent in certo loco à Divinorum Officiorum celebratione, & Sacramentorum administratione, nisi quatenus eam necessitas postulat.

Quando
possit indici?

109. Porrò Cessatio à Divinis non debet indici, nisi ob gravem injuriam Deo & Ecclesiæ illatam, ut injuriantes resipiscant, & quod deliquerunt, emendent: sùntque in ejus indictione plura observanda, quæ in Jure Canonico, *c. Si Canonici, & c. Quamvis, de Offic. Ordinarij in 6.* fusè præscribuntur.

Differt ab
Interdicto
quod;

110. Differt autem multipliciter Cessatio à Divinis ab Interdicto. Nam I. Cessatio à Divinis non est Censura, sicut Interdictum. II. Violans Cessionem à Divinis, licet graviter peccet, non fit irregularis: benè tamen violans Interdictum. III. Cessatio à Divinis nunquam afficit personas, sed locum tantum; unde extra illum liberè possunt Divina audiri à quolibet, vel celebrari: Interdictum verò quandoque est personale, & afficit personas. IV. Sepultura in Loco sacro, tempore Cessionis à Divinis, juxta probabiliorem sententiam, omnibus est concessa, dummodò fiat sine Officio funebri: secus est in Interdicto. Omittuntur aliæ differentie.



DISTINCTIO III.

De Irregularitate.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Irregularitas? ubi varia ipsam attinentia.

1. **Q**uia Irregularitas inter alias causas contrahitur ob violationem Censuræ Ecclesiasticæ, merito de ipsa tractatur post Censuras jam explicatas. Cæterum Irregularitatis nomen derivatur à *ly irregulare*, quod significat aliquid inter regulam non contentum; sive, non secundum regulam existens. Verùm in proposito Irregularitas magis strictè sumitur, ac prout ipsa est una ex septem Pœnis Canonicis, arcens hominem à susceptione, vel executione Ordinum: & dicitur Pœna Canonica, saltem largè sumendo nomen pœnæ. (a)

2. **CONCL. I.** Irregularitas est impedimentum Canonicum impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. Ita in re communis. Ratio est: quia præcipuus Irregularitatis effectus est, impedire Ordinum susceptionem, aut susceptorum usum. Ubi tamen est sciendum, quòd *ly Ordo* in data definitione largè sumatur, prout etiam primam Tonсурam includit: siquidem irregularis prohibetur primam quoque Tonсурam suscipere. Advertendum ulterius, quamvis Irregularitas impediatur susceptionem Ordinum, ac susceptorum usum, non tamen ita impedire, ut si Ordo à viro baptizato in Irregularitate constituto suscipiatur, sit nullus ac irritus: adhuc enim Ordo validè suscipitur, quamvis illicitè. Similiter, si Sacerdos irregularis præsumat celebrare Missam, validè celebrabit, etsi illicitè.

3. **CONCL. II.** Irregularitas ut sic dividitur in Irregularitatem ex delicto, & in Irregularitatem ex defectu. Ita communis. Ratio est: quia Irregularitas non aliter dividitur, nisi propter causam, ob quam fertur: unde quia Irregularitas quandoque contrahitur ob aliquod delictum, quandoque verò sine prævio delicto ex mero defectu naturali, aut inculpabili; rectè ea dividitur

Ppppp

Et quomodo hæc differant?

4. Porro inter has duas Irregularitates est hoc notabile discrimen, quod Irregularitas orta ex defectu, sæpius tollatur sublato defectu; Irregularitas verò orta ex delicto semper maneat, donec legitimè in ea dispenseretur.

Irregularitas non est Censura; cur?

5. CONCL. III. Irregularitas non est Censura Ecclesiastica, imò in pluribus differt ab ea. Ita Doctores unanimiter, & patet inductione. Inprimis enim Irregularitas propriè non est pœna, sed potiùs inhabilitas quædam ad Ordines suscipiendos, vel exercendos: etenim pœna propriè dicta supponit culpam, sed Irregularitas quandoque contrahitur ex mero defectu naturali, absque ulla culpa. Et quamvis detur Irregularitas orta ex delicto, seu quæ in pœnam delicti imponitur; ea tamen primariò non imponitur per modum pœnæ medicinalis, sed impedimenti Canonici: econtrà Censuræ Ecclesiasticæ imponuntur ut pœnæ medicinales.

Violans Irregularitatem non fit delinens irregularis; scilicet in Censuris.

6. Deinde violans Censuram Ecclesiasticam administrando Sacramenta, vel celebrando, incurrit Irregularitatem: at verò irregularis celebrans, vel administrans Sacramenta ante obtentam dispensationem, etsi peccet mortiferè, non tamen incurrit novam Irregularitatem; prout notat Navarrus *cap. 27. Manualis, num. 194.* cum alijs satis communiter. Ratio est: quia prius Jure exprimitur, non autem posterius: atqui Irregularitas nunquam incurritur, nisi id Jure exprimat; ut mox dicitur; ergo. Hinc fit

Irregularitas non incurritur, nisi Jure exprimat.

7. CONCL. IV. Irregularitas non incurritur, nisi ea in Jure sit specialiter expressa. Ita Scotus 4. *dist. 7. quest. 5.* & clarè desumitur ex *c. Is qui. de Sent. excomm. in 6.* ubi dicitur: *Licet in hoc temerariè agat, irregularitatis tamen (cum id non sit expressum in jure) laqueum non incurrit.* Quinimò ex hoc textu rectè infertur, quod defectus ille, ob quem Irregularitas incurritur debeat esse specificè nominatus in Jure, neque ab uno ad alium casum, ob similem vel majorem rationem, extensio fieri possit: siquidem odiosa, & pœnalia, sunt restringenda potiùs, non extendenda. Hinc Fagnanus *c. Si quis Presbyter. num. 5. de Cler. excomm.* inquit: *Qui dicit aliquem irregularem, debet dare casum juris.*

Ea non ab homine, sed solo Jure

8. CONCL. V. Irregularitates non ab homine per sententiam (id est, non per sententiam Judicis) sed solo Jure, & quidem Jure

Jure duntaxat universalis Pontificio, non autem Episcopali, imponi possunt. Ita Layman lib. 1. tract. 5. part. 5. cap. 1. num. 5. & alij. Ratio est: quia Irregularitas principaliter imponitur per modum Canonici impedimenti, ob decentiam ac reverentiam sacro Altaris ministerio debitam: atqui convenit, ut talia sint perpetua, totique Ecclesie communia, sicuti & Altaris ministerium, ejusque reverentia est communis Ecclesie universalis; ergo. Accedit, quod nullibi in Jure concessum sit Episcopis, novas Irregularitates constituere, quamvis subditos transgressores & contumaces possint punire poenam Excommunicationis, Suspensionis, ac Interdicti.

9. Ceterum non obstante, quod omnis Irregularitas Jure duntaxat humano Ecclesiastico constituta sit; negari tamen non potest, multas Irregularitates Jure Ecclesiastico constitutas, ex Lege veteri & naturali originem traxisse. Siquidem pleraque, sive ob naturalem indecentiam, sive ad exemplum veteris Legis Divinae, atque occasione illius, sunt statuta: prout patet in Irregularitate ex homicidio, seu defectu perfectae lenitatis proveniente, quam Ecclesia constituit, eo quod David Rex fuerit impeditus ab aedificatione Templi, ob multum sanguinem effusum, 2. Reg. cap. 7.

Q U A E S T I O II

De Irregularitatibus ex delicto provenientius.

10. **C**ONCL. I. Irregularitas ex delicto oritur imprimis ob Baptismum serio & scienter iteratum, tam ex parte re-baptizantis, quam rebaptizati. Ita Doctor noster in 4. dist. 6. q. 8. atque desumitur ex c. Ex litterarum, de Apostatis. & c. Qui in qualibet, 1. q. 7. & alibi. Secus est dicendum de Sacramento Confirmationis: nam, ut notat Doctor Subtilis in 4. dist. 7. q. 5. cum communiore, ejusmodi Irregularitatem non incur-runt scienter reiterantes, vel iterato suscipientes Sacramentum Confirmationis: quia Irregularitas non incurritur, nisi in casibus a Jure expressis, c. Is qui, de Sent. excomm. in 6. estque proxime dictum num. 7. Atqui nullibi Jure reperitur expressa Irregularitas contra reiterantes Sacramentum Confirmationis; ergo.

11. Adde ulterius cum Layman cap. 2. de Irregularitate, Aut si Ba- num. 1. non contrahi Irregularitatem, si rebaptizatio fiat sub ppppp 2 con-

condicione
reiteietur,

condicione ; quamvis temerè , & non præmissâ debitâ inquisitione , utrùm Baptismus antea fuerit collatus. id fiat. Ratio est : quia leges pœnales intelligi debent cum effectu : qui autem baptizatum sub condicione baptizat , *Si baptizatus non est, ego te baptizo &c.* is reverà non baptizat ; quia appolita condicio de præterito , aut præfenti , si non subsit , semper annullat , & impedit actum ; ergo. Et ob eandem causam , qui metu v. g. adactus , animo simulato exterius rebaptizat , non fit irregularis ; cum non habeat animum baptizandi.

Oritur quo-
que ex vio-
latione Cen-
suræ.

12. CONCL. II. Oritur insuper Irregularitas ex violatione Censuræ Ecclesiasticæ ; si nimirum eâ innodatus , actum aliquem Ordinis solemniter exerceat. Ita habetur in Jure Canonico , toto tit. *De Clerico excommunicato, deposito, vel interdicto ministrante* , & alibi. Hinc Clericus fit irregularis , si exerceat actum proprium Ordinis constitutus in Excommunicatione majori , vel suspensus ab Ordine , vel ligatus Interdicto personali , aut in loco interdicto.

Nummodò
ministeriū
sit proprium
Ordinis.

13. Requiritur autem ad incurrendam hanc Irregularitatem , ut ministerium , quod Clericus in Censura exerceat , sit proprium Ordinis ; seu tale , ut ab alio , qui talem Ordinem non habet , exerceri non possit. Unde Clerici in minoribus vix possunt ex hac causa Irregularitatem contrahere : siquidem consuetudo ferme obtinuit , ut eorum ministeria à Laicis etiam solemniter ob-eantur. Layman *loc. cit. c. 3. num. 4.* Navarrus *cap. 27. Manual. num. 242. & 244.* hoc ipsum docens de eo , qui cantat Epistolam sub Missa , sed sine Manipulo.

Quid , si pe-
ragantur ea,
quæ sunt
jurisdictionis ?

14. Insuper Clerici excommunicati , vel suspensi , non fiunt irregulares , si ea duntaxat peragant , quamvis illicitè , quæ sunt officia solius jurisdictionis , non autem Ordinis. Ut si Episcopus tali Censurâ ligatus excommunicet , vel ab excommunicatione absolvat , omisâ tamen solemnitate precum & Stolzæ. Item si Parochus assistat Matrimonio , sed non benedicat Nuptias ; & ita loquendo de alijs actibus , qui sunt solius jurisdictionis , non verò Ordinis : tales enim non violant Censuram Ecclesiasticam exercendo in ea actum Ordinis sibi prohibiti , cum talem reverà non exerceant. (b)

(b) Adde
dicta Dist.
2. n. 87.

Irregulari-
tas oritur ob
indebitam
susceptio-

15. CONCL. III. Ob indebitam susceptionem Sacramenti Ordinis varijs de causis incurritur Irregularitas. Ita omnes Doctores , & probatur inductione. Sic quippe fit irregularis , qui sciens , aut scire debens , se excommunicatum esse excommuni-
catio:

carione majori, aut interdictum, vel suspensum à susceptione Ordinum, ordinatur; prout ex varijs textibus Juris probat Navarrus c. 27. Manual. n. 241.

16. Et dicitur notanter, Excommunicatione majori. Quia excommunicatio minor, quamvis sufficiat ad peccandum, non tamen sufficit ad Irregularitatem inducendam, c. Si celebrat. de Clerico excomm. ministrante. Deinde, qui ab Episcopo excommunicato, suspensio, interdicto, simoniaci, schismatico, hæretico, aut deposito, vel degradato ordinatur, fit irregularis; quamvis characterem Ordinis suscipiat, arg. c. Quod quidam. & c. Statuimus decretum 1. q. 1. ac notat cit. Navarrus. Accedit c. Ordinationes. 9. q. 1. & cap. 1. ac 2. de Schismaticis, ubi irritæ censentur hujusmodi ordinationes (non quidem quantum ad valorem Sacramenti, sed quantum ad executionem Ordinis) nisi legitimè cum aliquo fuerit dispensatum. Siquidem dispensatio propriè habet locum respectu Irregularitatis, non autem respectu Suspensionis, utpote quæ solet tolli per absolutionem, non per dispensationem: ac proindè hic non intervenit mera Suspendio, uti quidam asserere videntur, sed etiam Irregularitas.

17. Porro qui Ordine Sacro ordinatur ante legitimam ætatem, vel extra tempora legitima, aut absque Litteris Dimissorialibus; item, qui per saltum ordinatur, accipiendo videlicet majorem Ordinem ante minorem, non est quidem irregularis (nullibi enim ejusmodi irregularitas reperitur in Jure expressa) benè tamen ipso jure suspensus: si autem, antequam absolvetur à Suspensione, ejusmodi Ordinem exerceat, fit irregularis. Navarrus loc. cit. n. 241. & 242. id ex varijs textibus Juris probans; Pirhing tit. de Clerico per saltum promotum, num. 2. & alij.

18. CONCL. IV. Etiam Hæretici, Apostatæ à Fide, Schismatici, eorumque fautores ac receptatores (id est, illi, qui favent Hæreticis, vel Schismaticis formaliter sumpris, seu quæ tales sunt) irregulares existunt. Ita habetur c. Quicumque de Hæreticis in 6. & c. Saluberrimum. 1. q. 7. cum concordantijs: quamvis ad hanc Irregularitatem incurrendam requiratur hæresis externa, sive signo quodam exteriori sufficienter manifestata.

19. CONCL. V. Crimina inducentia Infamiam juris, etiam inducunt Irregularitatem. Ita habetur c. Infames. 6. q. 1. ubi, cum dictum fuisset, fures, sacrilegos, incestuosos, homicidas, perjuros, raptos, maleficos, adulteros, & alios ibidem enumeratos, de jure infames esse: Subdit textus: Hi omnes, inquam, nec ad

nam Ordinum; idque variè.

Excommunicatio minor non sufficit ad Irregularitatem inducendam. &c.

Quid de ordinato per saltum, vel ante legitimam ætatem, &c.

Hæretici, Schismatici, eorumque fautores, &c. sunt irregulares.

Crimina inducentia Infamiam Juris, inducunt Irregularitatem.

sacros gradus debent admitti. Et merito: quia puros & immaculatos, non autem sceleratos atque infames, convenit in sortem Domini, & sacrum ejus ministerium cooptari.

Quid, si crimina illa sint occulta?

20. Circa hoc tamen notandum, quod Clerici criminosi, atque delictorum de jure Infamiam inducentium sibi conscij, ante actam veram poenitentiam non debeant Ordines suscipere, aut in jam susceptis ministrare, v. g. celebrando Missam non praemissa Confessione Sacramentali, eo quod perdidissent testimonium bonae conscientiae, sicque non absque novo peccato mortali id facerent. Nihilominus, si ejusmodi crimina (excepto homicidio) sint etiamnum occulta, tales post actam veram poenitentiam prohiberi non debent, quod minus, si velint, in susceptis Ordinibus ministrent, aut ad superiores Ordines ascendant; prout habetur c. Ex tenore. & cap. ult. de Temporibus Ordinationum, & tradit Pirhing ibidem num. 15. & seqq. ac Navarrus cap. 27. Man. num. 248. & alij. Et hinc inferes generaliter, quod ob crimina occulta non incurratur Irregularitas ratione Infamiae; quidquid nonnulli in contrarium dixerint, male (ut loquitur Navarrus) injicientes magnos scrupulos Ecclesiasticis, qui ejusmodi crimina in occulto commiserunt.

Solvitur Instantia.

21. Nec obstat, quod certis criminibus, utputa perjurio, incestui, adulterio, &c. infamia ipso jure annexa sit. Resp. enim, id procedere de talibus criminibus, quando publica sunt: secus, quamdiu illa sunt occulta. Nam, quia Infamia consistit in diminutione bonae famae, sicuti haec sine publica rerum noticia comparari nequit, ita nec Infamia incurri ob crimen merè occultum.

Quid, si postea crimen illud sit publicum?

22. Quod si verò postea crimen publicum fiat, utputa per propriam Confessionem, vel alias legitimas probationes in Judicio factas, statim absque alia Judicis sententia oritur Infamia, utpote ipso iam jure statuta pro tali crimine; & sic exinde incurritur Irregularitas. Unde Layman cap. 4. de Irregularitate num. 8. ait, quod commisso ejusmodi crimine, etiamnum occulto, contrahitur Infamia fundamentaliter, atque in radice: accedente autem eius publicatione efficiatur Infamia formaliter, inducens Irregularitatem ipso facto, donec abolita Infamiam legitime cum aliquo fuerit dispensatum.

Ex homicidio occulto oritur Irregularitas & cur?

23. Additur notanter num. 20. excepto homicidio. Istud enim, quantumvis sit occultum, inducit Irregularitatem, ut habetur c. cap. ult. de Tempor. ordinat. juncto Concilio Trid. Sess. 24. de Regularib. cap. 6. cum concordantijs. Quamvis hoc non ratione

ne contractæ Infamiæ (hanc enim non parit crimen occultum, modo declarato) sed ex speciali Juris constitutione accidere videatur. Qua ratione pariter in occulto violans Censuram Ecclesiasticam, aut scienter Baptismum reiterans, Irregularitatem contrahit: Nam talibus delictis secundum se, ac præcisâ Infamiâ, Jus ipsum statuit Irregularitatem.

Q U Æ S T I O III.

De Irregularitatibus ex defectu.

24. **C**um Irregularitas duplex sit, una ex delicto, altera ex defectu; explicatâ priori, multiplici titulo proveniente, pergendum ad Irregularitatem ex defectu, quæ etiam multipliciter confurgit. Nam ipsa provenit I. Ex defectu animi. II. Ex defectu corporis. III. Ex defectu Natalium. IV. Ex defectu ætatis, & libertatis. V. Ex defectu Sacramenti. sive ex Bigamia. Et tandem VI. Ex defectu lenitatis; id est, ex homicidio, etiam licitè patrato, de quo *Quaest. seq.* Nunc priores Irregularitates ex defectu provenientes prosequendo, sit

25. **CONCL. I.** Ex defectu animi censentur vel maximè irregulares, qui penitus carent usu rationis; quales sunt amentes. Et hi non solum Jure humano sunt irregulares, sed etiam Jure Divino ac naturali sunt inepti ad suscipiendos Ordines; quamvis recipiant Characterem, si ordinentur. Idem fit in infantibus.

26. Insuper defectus omnimodæ scientiæ facit hominem irregularem. Siquidem naturale lumen dicitur, non esse admittendos ad aliquod munus eos, qui nesciunt illud munus exercere. Interim hæc Irregularitas de se, & absque alia dispensatione, tollitur sublatâ causâ, seu ignorantia per acquisitam debitam scientiam.

27. Rursum Neophyti sunt irregulares, *arg. can. 1. dist. 48.* Neophyti; Idque ne in superbiam elati, incidant in laqueum diaboli, ut monet Apostolus 1. *Timoth. 3.* Dicitur autem Neophytus, qui ex lege Judaica, Machometica, vel Ethnica nuper conversus ad Fidem Christianam, suscipit Baptismum in ætate adulta.

28. **CONCL. II.** Corpore viciati, qui videlicet non possunt absolute obire Ordinis ministeria, vel non sine aliorum horrore, sunt irregulares. Ita desumitur ex *c. Illiteratus. dist. 36. & c. Presbyterum. de Clerico agrotante, cum concordantijs.* Unde Irregularis est, cui brachium vel manus deest, aut reddita est manca.

Item,

Irregularitas ex defectu variè contingit.

Ex defectu animi sunt irregulares Amentes.

Omninò inscij.

Neophyti; & qui sunt tales?

Ex defectu corporis, qui cæcantur irregulares?

Item, qui caret digitis dexteræ manûs, quibus formatur signum
 rente oculo, Crucis; aut si deficiat pollex.

Quid de ca-
 aut visa
 ejus?

29. Insuper censetur irregularis, cui oculus erutus est; ut
 dicitur *o. Si Evangelica. dist. 55. ibi: Nam illi, cui erutus est oculus,*
non possunt secundum Canones, Sacerdotij jura concedi: siquidem hujus-
modi carentia organi oculi, notabilem parit deformitatem. Se-
cus est dicendum de eo, qui caret solo lumine, aut visu dextri
oculi, modò habeat utrumque oculum integrum: vel qui habet
visum ac intuitum brevem, aut non videt sine perspicillis: quia
hujusmodi vitium non inducit notabilem deformitatem.

Præsertim
 oculi sini-
 stri?

30. Utrum autem, qui caret visu oculi sinistri, quem Stylus
 Romanus *oculum Canonis* appellat, eò quòd necesse sit videre eo,
 ut quis Canonem Missæ sine indecora & nimia faciei conversio-
 ne legere possit, sit irregularis, variant Doctores. Nam talis à
 quibusdam absolutè censetur irregularis: alij tamen id limitan-
 dum æstimant, si absque notabili deformitate seu indecentia Ca-
 nonem legere nequeat, aut defectus ille cum alia gravi foeditate
 faciei, seu oculorum, sit conjunctus; prout notat Navarrus *cap.*
27. Manual. num. 199. & Barbosa part. 2. de Offic. & potest. Episc. alleg.
42. n. 31. cum pluribus alijs, quos citat. In dubio autem standum
erit iudicio Ordinarij.

Quid de le-
 prolo para-
 lytico, phre-
 netico, &c.

31. Insuper ex hoc capite irregularis est leprosus, paraly-
 ticus, phreneticus, arreptitius, morbo caduco laborans. Ve-
 runtamen si tales integrè convaluisse videantur, ac jam antè or-
 dinati erant, possunt admitti ad Celebrationem. Sacerdos quo-
 que, si morbo caduco laborans rarò cadat, & etiam sputa ore
 non evomat, privatim celebrare potest, adjuncto ei socio Sa-
 cerdote, qui Missam profèqui possit, si alter deficiat. Layman.
cap. 7. de Irregularitate, num. 2. & seqq. citans alios.

Habente sex
 digitos, gib-
 boso, &
 claudus?

32. Porrò irregularis non est, qui sex digitos in manu habet:
 neque qui uno digito ex minoribus caret: neque gibbosus, nisi
 gibbositas conjuncta sit cum nimia deformitate, aut debilitate.
 Nec etiam claudus censetur irregularis, nisi sit magna gressus
 deformitas, ita ut baculo, vel pede ligneo niti debeat; quod in-
 decorum foret in Altaris ministerio. In dubio autem, an corpo-
 ris defectus sit notabilis, ut Irregularitatem inducat, nec ne, ad
 ordinarium Prælatum pertinet iudicium. Barbosa *cit. allegat. 42.*
 Layman *loc. cit. num. 6. & alij.*

Ex defectu

33. CONCL. III. Ex defectu Natalium censentur irregu-
 lares,

Pares, qui sunt illegitimè nati; sive dein illi sint nati à parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel saltem natiuitatis, poterat consistere Matrimonium; sive sint spurij, id est, nati à parentibus, inter quos tempore conceptionis, ac etiam natiuitatis, non potuit consistere Matrimonium. Ita habetur *cap. 1. & 2. de Filijs Presbyterorum*, & alibi. Ratio est: quia talis Irregularitas iure Canonico est introducta, partim in deprecationem sceleris paterni, partim ob turpitudinis notam, quam filius ex tali natiuitate, iuxta communem hominum æstimationem, contrahere censetur, partim quia timetur, ne filius paternæ incontinentiæ imitator exeat.

Necessum, quod sint irregulares?

34. Ubi tamen notandum, quod illegitimè natus, per subsequens Matrimonium inter parentes contractum legitimetur, si dum suscipiebatur inter parentes nullum suberat impedimentum dirimens *cap. Conquestus. & c. Tanta. Qui filij sint legitimi. & §. si instit. de Nuptijs*. Etenim fictione Juris, seu ex benignitate Legum, Matrimonium subsequens quasi retrotrahitur ad tempus conceptionis, vel natiuitatis, in ordine ad hunc effectum legitimatio nis: qui etiam locum habet in successioneibus hæreditarijs, & officijs tam sæcularibus quàm Ecclesiasticis, nec non & in Ordinibus, atque Dignitatibus: quia Matrimonium omnia præcedentia purgat, prout probat *Glossa cit. c. Tanta. §. Legitimi*.

illegitimè natus legitimetur per subsequens Matrimonium.

35. Notandum ulterius, quod illegitimi, si Religionem ingrediantur, possint post emissam professionem ad Ordines promoveri, *cap. 1. de Filijs Presbyterorum*. Non tamen possunt tales ad Prælaturas Ordinis eligi, ut ibidem dicitur, nisi cum ipsis fuerit dispensatum.

quid, si illegitimi Religionem intrent?

36. Concl. IV. Defectus legitime ætatis, requisitæ ad Ordines, inducit Irregularitatem, quam diu durat defectus. Ita desumitur *ex cap. ult. de Temporibus Ordinationum*, cum concordantijs. Dicitur notanter, *quam diu durat defectus*: siquidem Irregularitas ex defectu ætatis proueniens, cessat adueniente termino legitime ætatis, absque ulla alia dispensatione.

Ex defectu ætatis, &

37. Concl. V. Ex defectu libertatis inducitur Irregularitas in pluribus. Primò quidem in Mancipijs propriè dictis, *c. de servorum. & cap. consuluit. de Servis non ordinandis*. Nec non & in Servis adscriptitijs, atque originarijs, qui certæ glebæ seu prædio colendo sunt perpetuò obligati: atque idè sine consensu dominorum ordinari non possunt, *can. Generalis. & can. Admittuntur. dist. 54.* Insuper & in Conjugatis: nam conjugati non admittuntur ad Ordines, sine licentia uxoris *Votum continentis, & c. Uxo-*

Ex defectu libertatis oritur irregularitas, & in quibus.



c. Uxoratus. de Convers. conjugat. His accedunt obligati ad ratiocinia (hoc est, Procuratores, Actores, Executores, seu Curatores pupillorum, & hujusmodi) nam hi ordinari non possunt, nisi deposito onere, atque redditâ ratione: *Si enim ante libertatem negotiorum, vel officiorum fuerint ordinati, Ecclesia infamabitur, ut dicitur cap. un. de Obligatis ad ratiocinia.*

Ex defectu Sacramenti etiam exoritur. 38. **CONCL. VI.** Ex defectu Sacramenti, sive ex Bigamia, oritur Irregularitas. Ita habetur in Jure Canonico, *Tit. de Bigamis non ordinandis.* Et quidem hujusmodi Irregularitas, Bigamiz annexa, procedit ex traditione Apostolica; ut colligitur ex illo *1. Corinth. 2. Oportet Episcopum unius uxoris esse virum.* Et infra: *Diaconi sint unius uxoris viri.* Intellige, non quod debeant esse uxorati, sed quod non debeant habuisse plures uxores.

Et cur? 39. Porrò hæc Irregularitas dicitur oriri *ex defectu Sacramenti.* Siquidem Matrimonium consummatum significat conjunctionem Christi cum Ecclesia, per carnis assumptionem, juxta illud Apostoli ad Ephes. c. 5. *Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico, in Christo & Ecclesia.* Hæc autem significatio deficit in Matrimonio cum secunda uxore, vel cum vidua, aut corruptâ contracto; cum non sit conjunctio unius cum una, eâque virgine, sicuti Filius Dei copulavit sibi Ecclesiam unam, & ab alio non assumptam.

Bigamia triplex, nimirum. 40. Triplex communiter à Doctoribus assignatur Bigamia, scilicet vera, interpretativa, & similitudinaria; & harum quælibet inducit Irregularitatem, ut constat ex toto *tit. de Bigamis non ordinand.* Porrò Bigamia vera est, quando quis validè contraxit Matrimonium cum duabus, illudque consummavit, Et additur, *illudque consummavit:* nam ex solo Matrimonio rato cum secunda inito non confurgit Bigamia, nisi illud sit etiam consummatum, *cap. ult. dist. 34. & c. Debitum. de Bigamis non ordinand.*

Interpretativa, & 41. *Bigamia interpretativa est,* quæ contrahitur ab eo, qui quadam Juris interpretatione censetur habuisse duas uxores, etsi verè illas non habuerit: ut si quis duxerit viduam, quæ prius Matrimonium consummaverat, vel si quis ducat ab alio corruptam; vel si cognoscat propriam uxorem post adulterium ab ipsa commissum, aut hujusmodi. De quibus extant diversi textus Juris Canonici, ut *c. Maritum. dist. 33. & c. Si cujus. & c. Si laici. dist. 34. & alibi.*

Similitudinaria, quid? 42. Tandem *Bigamia similitudinaria est,* quæ contrahitur ex attentatione & consummatione Matrimonij, quamvis invalidi, post

post Votum solemne Castitatis emissum in Religione approbata, vel post receptionem Sacrorum Ordinum. Tales enim aliquo modo similes sunt contrahentibus duplex Matrimonium, quatenus post connubium spirituale cum Christo initum, ab eo recedentes, attentant Matrimonium carnale contrahere, & consummare: sicque incurrunt Bigamiam similitudinariam

arg. c. Quotquot. & c. Monacho, 27. q. 1.
43. Advertendum tamen, nullam in Jure impositam esse Irregularitatem viris, qui extra Matrimonium constituti cum pluribus fornicantur, aut plures habent concubinas. Imò Presbyterum, qui plures habuit concubinas, ex eo non esse bigamum, neque irregularem, expresse decisum habetur c. Quia circa, de Bigamis non ordinand. Siquidem hic non intervenit defectus Sacramenti, cum nullum præcesserit Matrimonium, significans conjunctionem Christi cum Ecclesia.

Non fit irregularis, qui cum pluribus fornicatur.

QUÆSTIO IV.

De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione.

44. Quia Irregularitas ex homicidio quandoque provenit ex delicto, quandoque verò ex defectu, hinc expediens videbatur, specialem de ipsa instituere Quæstionem. Et quidem, si contingit homicidium, aut mutilationem, tunc oritur Irregularitas ex delicto. Quando autem contrahitur Irregularitas ex homicidio, aut mutilatione justa, qualis fit à Judice Reum ob delicta condemnante, aliisque Justitiæ Ministris in causa sanguinis ministrantibus, vel militibus, in bello justo occidentibus, tunc ea dicitur Irregularitas ex defectu perfectæ lenitatis.

Irregularitas ex homicidio dupliciter contingit.

45. Porrò causa, cur SS. Canones hanc Irregularitatem statuerint, est hæc: quia indecens videtur, ut qui alienum sanguinem fuderit, Christi mitissimi, proprium Sanguinem pro nobis effundentis, personam in Altari repræsentet, ac ejus nomine Hostiam immaculatam & incruentam Deo Patri offerat. Unde & in veteri Lege Deus noluit sibi ædificari Templum à Rege Davide, eo quòd multum sanguinem fudisset, non obstante, quòd id factum fuerit in bello justo, similique David cæteròquin extiterit sanctissimus, ac Vir secundum cor Dei. His prænotatis, & agendo prius de homicidio injusto, sit

Causa eam statuendi.

Q q q q q . 2

46



Injustè mu-
tilans, vel
occidens sit
irregularis.

Dummodò
sit baptiza-
tus;

Ac secuto
effectu.

(c) *Vide*
Tr. 9. Dist.
3 n. 33 &
seqq.
Mutilatio,
quid?

Per mem-
brum quid
intelligi-
tur?
Corollarium.

Mandans,
vel co- pe-
rans ad in-

46. CONCL. I. Clericus, aut quicumque alius homo bapti-
zatus, iniuste mutilans, vel occidens hominem, secuto effectu,
est irregularis. Ita habetur expressum in Jure Canonico, *100 Tit.*
de Homicidio, cum concordantijs; estque communis.

47. Dicitur notanter, *Homo baptizatus*. Quia ad incurren-
dam Irregularitatem requiritur inter alia, ut occidens, vel muti-
lans, sit baptizatus; nam Jura loquuntur tantum de mutilanti-
bus, & occidendis post susceptum Baptismum, *c. Si quis viduam.*
dist. 50. & c. Si quis post baptismum. dist. 51. Accedit ratio: quia In-
fideles, seu necdum baptizati, Constitutionibus Canonicis non
arctantur, *c. Gaudemus. de Divortijs.*

48. Additur autem, *secuto effectu*. Quia ad incurrendam Ir-
regularitatem non sufficit sola intentio mutilandi vel occiden-
di, sed requiritur actualis occisio vel mutilatio hominis, sive de-
inde illa sit occisio seu mutilatio hominis infidelis, sive fidelis, ex-
communicati, banniti, aut alterius hominis: nam Jura hinc lo-
quuntur generaliter, illinc verò sunt accipienda cum effectu.
Cæterum dicta procedunt, sive ejusmodi occisio aut mutilatio
fuerit publica, sive occulta, *cap. ult. de Temporibus ordinat. & alibi.*
Hinc etiam sit irregularis, qui procurat abortum foetus animati

animæ rationali (secus, si animatus non sit) *c. Sicut de Homicidio. (c)*
49. Quæres, quid in proposito intelligatur per Mutilatio-
nem? Resp. Per Mutilationem intelligitur communiter alicu-
jus membri abscissio. Unde non sufficit a Irregulari atem,
si quis tantum vulneraverit Proximum, aut eidem membrum
reddiderit inutile: ut si quis excæcaverit hominem solo visu
privando, non autem oculum eruendo: quia non est mutila-
tio.

50. Insuper per *Membrum* intelligi debet corporis pars
aliqua principalis, peculiarem in corpore functionem habens:
ut manus, pes, oculus, auris, ac hujusmodi. Hinc inferunt Docto-
res, eum non fieri irregularem, qui in rixa præscindit alteri digi-
tum, unques barbam, capillos, aut excutit dencem, vel hujus-
modi: quia talia non sunt propriè membra, & digitus v. g. est
tantum pars & officium membri. Covarruvias *part. 3. Clem. Si fu-*
rosus. n. 3. Barbosa part. 2. de offic. & potest. Episc. allegat. 42. num. 11.
& alij

51. Concl. II. Etiam incurrunt Irregularitatem, quicun-
que iniustam occisionem vel mutilationem hominis mandant,
aut ad illam favorem vel auxilium præstant, dummodò effectus
actua-

actualiter fuerit subsecutus, Ita communis; & habetur c. Si quis justam occisionem &c. *de homicidio*, & alibi. Nam factio &c. fit irregularis.

52. Inferitur proinde, quod quando plures communi consilio al quem aggrediuntur, omnes fiant irregulares, etsi unus occidat, vel mutilet: quia præbent auxilium, atque moralem influxum ad occisionem, vel sese animando, vel impediendo, ne alter se defendere possit, aut aliter cooperando. Dicitur notanter, quando plures communi consilio, &c. Nam si extra commune consilium, aut consensum, plures inflixerint alteri vulnera, solus ille fit irregularis, quem constat inflixisse vulnus læthale. Si tamen discerni nequeat, ex cujus istu alter occubuerit, omnes debent se gerere, tanquam irregulares, c. Significasti, de Homicidio.

53. CONCL. III. Quamvis ob homicidium merè casuale, ac fortuitum, non incurratur Irregularitas; si tamen illud fuit indirectè saltem, aut in causa voluntarium, Irregularitas contrahitur. Ita Doctores passim, propter textus Juris satis claros. Et quidem prior pars habetur expressè cap. 9. & 12. ac seqq. de Homicidio. Sic quippe ut ibidem dicitur, irregularis non est qui equum lascivientem freno coercuit, aut ipsum clacaribus stimulat, unde equus excusso fessore profugiens, in via occidit infantem. Similiter non incurrit Irregularitatem, qui ex alto desiciens lignum, prius sollicitè circumspexit, an nemo inferiùs adesset, sicque, neminem videns, lignum projecit, & puerum fortuito ibi existentem, neque antea vitum, interfecit. Accedit Clement. un. de Homicidio, ubi dicitur: Si furiosus, aut insans, seu dormiens hominem mutilet, vel occidat, nullam ex hoc Irregularitatem incurrit: quia nempe tale homicidium non est voluntarium, sed potius casuale ac fortuitum.

54. Altera pars habetur ex c. Presbyterum, & c. Continebatur, de Homicidio, ubi dicitur, quod homicidium imputetur ei, isque fiat irregularis, qui dedit operam rei licitæ, vel illicitæ, si non adhibuit omnem diligentiam, quam debuit, ne sequeretur occisio hominis: sic enim homicidium censetur saltem indirectè voluntarium. Similiter c. De catero, eod. dicitur, quod dans causam homicidio, fiat irregularis: qualia etiam alibi habentur.

55. Circa hoc ramentum notabilem distinctionem affert Layman lib. 3. tract. 3. part. 3. cap. 10. num. 4. post alios docens, quod si quis dedit operam rei licitæ, ac per se honestæ, sed debitam non adhibuit diligentiam, ne mors aut mutilatio hominis sequeretur;

Qqqqq 3

tur;

tur ; requiratur culpa lata, atque mortalis, ad contrahendam Irregularitatem ex tali homicidio, vel mutilatione solum indir e-
 tē voluntariā. Sic v. g. Medicus, aut Chyrurgus, volens sana-
 re infirmum, si ipsum per imperitiam aut incuriam interficiat,
 non fit irregularis, nisi hujusmodi culpa fuerit lata, atque pecca-
 tum mortale. Idem dicendum de Infirmario, qui infirmum
 Charitatis gratiā in lectulo movet, ut ei cibum ministrer, aut ut
 quietius cubet : nam is non fit irregularis, etsi mortem paulu-
 lum accelerasse videatur.

Vel illicitæ,
 sine debitâ
 diligentâ,
 ne sequatur
 homicidium.

56. Econtrâ verò, si quis dedit operam rei illicitæ, si que
 ob non adhibitam debitam diligentiam, homicidii, vel saltē
 mutilationis causa extitit, videtur sufficere culpa venialis ad Irre-
 gularitatem contrahendam. Exemplum habetur in Clerico ve-
 natore cervorum, aut aprorum, si ipsos jaculando, non omnem
 adhibuit diligentiam, ne homicidium sequatur ; nam Clericis
 venatio est specialiter interdicta, *cap. 1. & 2. de Cleric. veniat.* I-
 dem dicendum de Clerico impudicē jocante, vel saltē cum
 muliere gravida, unde abortus prolis animatæ contingit ; pro-
 ut refertur casus *c. Sicut. de Homicidio.* Quamvis non delint Aucto-
 res, qui volunt, ejusmodi Canones pertinere tantum ad Forum
 externum, in quo præsumptio fieri solet culpæ latæ, si quis dedit
 operam rei illicitæ, atque exinde mors vel hominis mutilatio fuit
 subsequuta.

Irregulari-
 tas etiam
 oritur ex
 homicidio
 publicâ au-
 thoritate
 facto.

57. CONCL. IV. Irregularitas insuper contrahitur ex ho-
 micidio, vel hominis mutilatione, publicâ auctoritate factâ,
 etiamsi nulla omninò culpa intervenerit, sed id fiat ex officio
 lea communis ; & habetur *c. Si quis viduam. dist. 50. & c. Aliquan-
 dos. dist. 51.* cum concordantijs ibidem à Glossa relatis. Siqui-
 dem tunc Irregularitas accidit ob defectum perfectæ lenitatis ;
 & indecens est, ut ille, qui voluntariè sanguinem humanum fu-
 dit, Christi mansuetissimi personam in Alcati repræsentet, ut
 jam dictum *num. 45.*

Corollarium
 de coope-
 rantibus.

58. Hinc Iudex, Assessor, Accusator, Denunciator, Testis,
 Tabellio, Satellites, Lictores, & quotquot alij cooperantur ad
 causam sanguinis, dummodò mors vel mutilatio actualiter fue-
 rit subsequuta, Irregularitatem incurrunt, ob defectum perfectæ
 lenitatis ; atque ostendit ex varijs textibus Juris Glossa citata.

Qualis re-
 quiritur
 cooperatio?

59. Intellige cum Glossa *inc. De cetero. de Homicid.* com-
 munitè receptâ, dummodò cooperatio ad mortem, seu mutila-
 tionem, aliquo modo notabilis sit, & non admodum remota, ve-
 per

per accidens. Hinc Opifices irregulares non sunt, qui pro furibus suspendendis furcam ædificârunt, vel funes aut scâlas confecerunt: quamvis secus dicendum sit de ijs, qui funes ad suspendium dederunt, aut scalam applicant. Hi enim censentur causa propinqua, illi remota. Layman *loc. cit. cap. 7. n. 2.*

60. Similiter, si Clericus in suis rebus, aut suorum vel Ecclesie bonis injuriam passus est, potest is de suis malefactoribus absque pœna Irregularitatis conqueri coram iudice sæculari, et postquam denunciare Magistratui etiam de ijs criminibus, quibus statuta est pœna sanguinis: dummodo expressè protestetur, quod ad vindictam seu pœnam sanguinis id non faciat, sed petat emendam sibi fieri; prout expressum habetur *c. Postulasti. de Homicidio, & amplius c. Prælati. eod. in 6.* Quia (ut dicitur ibidem) Alioquin daretur plerisque malefactoribus materia, trucidandi eosdem (Clericos) aut ipsorum bona libere depraedandi.

Clericus injuriam passus, an possit conqueri coram iudice &c.

61. Insuper citatus Layman, post Sotum, ridet scrupulum alicujus Confessarij, qui Reum ad supplicium comitatus, quod asinum, in quo vehebatur, pupugisset, irregularem se aestimabat, quasi mortem hominis accelerasset. Idem est, si Confessarius hortetur Reum, ut in via procedat: nam parum pro nihilo reputatur. Secus foret, si cooperatio, vel acceleratio mortis notabiliter facta sit: nam tunc fatentur omnes, contrahi Irregularitatem.

Quid de Confessario comitante Reum ad supplicium?

62. CONCL. V. Quicumque in bello offensivo justo hominem proprijs manibus mutilant, vel occidunt, fiunt irregulares. Ita communis; & habetur *c. Petito de Homicidio. & c. Quicumque, ac seqq. 23. q. 8.* Etsi enim Clerici possint hortari ad pugnam in bello justo, propria tamen personâ pugnare non debent, *c. Ex multa. §. fin. de Voto, & alibi.*

In bello justo, qui fiunt irregulares?

63. Dicitur notanter, in bello offensivo: nam quid juris sit de pugnantibus in bello merè defensivo, dicitur *num. 66.* Et additur, *justo hominem proprijs manibus &c.* Siquidem in bello injulto, quicumque auxilium aliquod attulerunt, quamvis proprijs manibus neminem occiderint, nec mutilaverint, securâ unius hominis mutilatione, aut occisione, fiunt omnes irregulares, *arg. c. Si quis, de Homicidio.* Econtrâ in bello offensivo justo illi duntaxat redduntur irregulares, qui propria manu occidunt, vel mutilant, non verò alij, v. g. hortantes ad pugnam, Consilarij, vel præbentes arma, sive subsidium: cum hoc non exprimatur in Jure. Herincx *disp. 6. de Censuris, n. 148.*

Quid, si bellum sit merè defensivum, aut injustum?



Occidens.
ob necessa-
riam vitæ
defensionē
non est ir-
regularis.

64. CONCL. VI. Qui ob necessariam vitæ, vel corporis sui defensionem, hominem mutilat, vel occidit, Irregularitatem non incurrit. Ita habetur *Clem. un. de Homicidio*, ibi: *Nullam irregularitatem incurrit, qui mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat in vasorem.* Accedit ratio: quia Irregularitas non incurritur, nisi ex homicidio spontaneo: atqui illud, quod ad necessariam suam defensionem fit, non omnino sponte, sed cogente Legis naturalis necessitate perpetratur; ergo.

Quid si ob
defensionē
rerum sua-
rum?

65. Dicitur notanter, *qui ob necessariam vitæ, vel corporis defensionem.* Nam, si quis moderamen inculpatae tutelæ excedat, certum est, eum incurrit Irregularitatem; utpote qui mortem aliter evadere potuisset. Deinde si quis furem, aut alium iniquum aggressorem occidat, vel mutilat ob defensionem rerum suarum, etiam tales contrahit irregularitatem; prout notat *Glossa cap. 2. §. Non deponatur, de Homicidio*, & *Abbas ibid. n. 4.* *Navarrus cap. 27. Manual. n. 213.* asserens, *Glossam illam ferè ab omnibus receptam, ac fusè disputat Covarruvias part. 3. Clem. Si furiosus §. un. n. 6.* id probans ex *cit. cap. 2. & c. Suscepimus. eod.* etque communior Doctorum, nonnullis tamen exceptis. Ratio est: quia ad Irregularitatem ex defectu perfectæ lenitatis non requiritur culpa, sed sufficit spontanea hominis occisio, vel mutilatio. Accedit, quod SS. Canones excipiant solummodò casum, si quis mortem aliter vitare non valens, suum occidit, vel mutilat in vasorem: atqui talis non fuit in periculo vitæ, sed duntaxat bonorum suorum; ergo de Jure non excipitur ab Irregularitate ob perpetratum homicidium.

Refertur a-
liorum opi-
nio,

Additur nihilominus, *nonnullis tamen exceptis.* Quia non desunt Doctores, volentes, quòd *Irregularitas ex defectu lenitatis incurritur tantummodò ex homicidio publicâ auctoritate facto, & cooperatione ad illud: e contra verò ex homicidio privato contrahatur solum Irregularitas ex delicto; ac proinde, ubi homicidium privatum est inculpabile, & sine delicto, non oriatur irregularitas, cum hæc nullo Jure expressa reperiatur, ut probare conantur ex solutione textuum Juris in contrarium allegatorum.* Ex quo concludunt, homicidium factum ad necessariam defensionem bonorum temporalium magni momenti, non inducere irregularitatem, hoc ipso, quòd fiat absque omni delicto: cum res suas defendere, & vim vi repellere, cuilibet à natura sit permissum, *l. 1. §. Vim vi ff. De vi armat. & c. Olim. causam. 12. de Restitut. spoliat. cum similibus: prout tenet Suarez disp. 46. de Censuris* *sect.*

Quæst. IV. De Irregularitate ex homicidio, vel mutilatione. 863
 Filliucius tract. 20, n. 150. & seqq. Lessius lib. 2, de justit.
 & jur. cap. 9. dubit. 11, n. 73. Caltro-Palao disp. 6. de Censur. punct. 15.
 §. 3. n. 7. Alphonsus de Castro, Petrus Navarrus, Coninch, & alij
 ab ipsis citati.

Verùm à priori sententia, quam etiam posterioris Autho- ^{Ac rejicitur.}
 res, ac præsertim Filliucius & Suarez, fatentur esse communem,
 non videtur recedendum. Tum quia jus inter homicidium pu-
 blicâ, vel privatâ autoritate factum, quantum ad incurrendam
 irregularitatem, nullibi distinguit: quinimò si hæc distinctio a-
 liquando à Jure fuisset intenta, & approbata, superflue postmo-
 dum laborâisset Concilium Generale Viennense, relatum cit. Clem.
 in. de Homicid. dum præter homicidium merè casuale (quod jam
 exceptum fuerat c. Hi. qui arbores. dist. 50. & c. Dilectus. cum seqq. de
 Homicid.) specificavit alios casus particulares, in quibus ex occi-
 sione, vel mutilatione hominis non incurritur irregularitas; si
 nempe furiosus, infans, vel dormiens hominem mutilet, vel oc-
 cidat; aut si mortem aliter vitare non valens, suum occidat, seu
 mutilet in vasorem; nam omnia hæc ad homicidium privatâ au-
 thoritate, & absque culpa perpetratum, spectare dignoscuntur.
 Tum quia etiam in homicidio, ob defensionem rerum suarum
 inculpate facto, intervenire defectum lenitatis, & perfectæ repræ-
 sentationis, mansuetudinis Christi, negari non potest: simulque
 patet, necessitatem tuendæ propriæ vitæ esse strictissimam, lon-
 geque graviores præ necessitate tuendi bona temporalia, quæ
 sunt ordinis multò inferioris, ac res viles & transitorie merito appel-
 lantur c. suscepimus. de Homicid. Unde mirum non sit, quòd casus il-
 le fuerit exceptus ab incurfione irregularitatis, non item iste: &
 si in hoc Conditor Canonis idem fieri voluisset, potuisset & hunc
 expressisse, prout in simili argumentatur Pontifex c. Inter corpora-
 lia. de Translat. Episc. Tum tandem, quia ita observat Stylus Cu-
 riæ Romanæ, qui jus facere dignoscitur, & de quo testatur ipse-
 met Filliucius loc. cit. n. 149. citans Navarrum cap. 15. Manual. n. 5.
 Sicut & in c. significasti de homicid. Presbyter Ecclesiæ censetur irre-
 gularis, eò quòd læthaliter percusserit maleficum, Eucharistiam
 cum Altarium ornamentis, & libris Ecclesiasticis auferentem.

66. CONCL. VII. Tandem, si quis in bello merè defensi- ^{Aut in bello}
 vo, ad Patriam à violenta hostium aggressionem liberandam, ex <sup>merè de-
 fensivo ad</sup>
 obligatione Charitatis, aut Pietatis pugnet, hostemque merè ^{tuendam}
 defensionis causâ mutilet, vel occidat, non incurrit Irregularita- ^{Patriam?}
 tem. Ita Pirhing tit. de Homicidio, num. 115. Herincx cit. n. 149.

R r r r r

Sua

Suarez, & alij. Ratio est: Tum quia bonum commune est præstantius privato. Tum quia in tali casu etiam propria vita periclitatur: simulque vim vi repellere, omnia jura permittunt.

Fit quid de
Clericis?

67. Cæterum loquendo de Clericis, Doctores admittunt hoc duntaxat in casu inevitabilis necessitatis, & quando per solos Laicos Ecclesia, vel Patria, sufficienter defendi non potest. Alioquin autem Clericus pugnans etiam contra inimicos Nominis Christiani, si quendam interficiat, censetur irregularis, *c. Peccatio. de Homicid.* Nam specialiter *Clericatus officium eos reddit inhabiles ad pugnandum*, ut dicitur *c. Ex multa. §. fin. de Voto*, juncto *c. Clerici. & seq. 23. q. 8.* Et arma Clericorum sunt lacrymæ, *arg. c. Si quis vult. dist. 36. & c. Convenior. 23. q. 8.* cum concordantijs.

Q U Æ S T I O V.

Quis possit dispensare in Irregularitatibus?

Irregulari-
tis tollitur
per dispen-
sationem:

68. **N**otandum, quod Irregularitas tollatur per dispensationem, non autem per absolutionem; prout tenet communis Doctorum. Siquidem absolutio est actus iustitiæ, in quo terminatur causa, & iudicium; dispensatio autem est exemptio quædam à lege communi; Atqui Irregularitas est mera inhabilitas ad Ordines tum suscipiendos, tum exercendos, & contrahitur quandoque absque ullo delicto; & consequenter in eam propriè cadit dispensatio, non autem absolutio.

Causâ ejus
perdurante.

69. Et hoc insuper intelligendum est, causâ Irregularitatis perdurante: alioquin enim cessante causâ Irregularitatis ex defectu, cessat etiam per seipsum Irregularitas, neque opus est aliâ dispensatione. Sic, qui est irregularis ex defectu legitimæ ætatis, litteraturæ, aut infirmitatis, adveniente legitimâ ætate, vel scientiâ, aut cessante infirmitate suâ, potest ordinari, aut Ordines susceptos exercere, absque ulla aliâ dispensatione. Hoc prænotato, sit

Papa di-
spensat in
omni ire-
gularitate.

70. **CONCL. I.** Summus Pontifex habet potestatem ordinariam, & universalem, dispensandi in omni Irregularitate. Ita omnes Doctores Catholici. Ratio est: quia omnis Irregularitas est de jure duntaxat humano Ecclesiastico: atqui Papa de plenitudine potestatis habet facultatem dispensandi supra omne Jus Ecclesiasticum, *arg. c. Proposuit. de Concess. Præbenda*, ibi: *Qui*

secun-

secundum plenitudinem potestatis, de jure possumus supra Jus dispensare ; ergo.

71. CONCL. II. Episcopi possunt dispensare in omnibus Irregularitatibus ex delicto occulto convenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad Forum contentiosum. Ita novissimè eisdem concessum est in Concilio Trid. Sess. 24. de Reform. cap. 6. ubi dicitur: *Liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto convenientibus, excepta ea, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis alijs deductis ad Forum contentiosum, dispensare.* Et hanc quidem facultatem dispensandi, cum sit defacto jure ordinario annexa muneris episcopali, posse Episcopum committere alteri, rectè observant Doctores.

Episcopi, in quibus irregularitatibus dispensant?

72. Addit Barbosa in Collectaneis ad cit. locum Concilij Trident. num. 4. citans plures alios Authores, etiam Capitulum Sede vacante habere præfaram facultatem dispensandi, à Concilio Trident. loc. cit. concessam Episcopis.

Quid de Capitulo Sede vacante?

73. CONCL. III. Prælati Regulares possunt cum suis subditis, ex specialibus privilegijs, dispensare in omnifermè Irregularitate: excepta illa, quæ orta est ex homicidio voluntario, bigamia, & mutilatione. Ita Generalibus, & Provincialibus Ordinum Mendicantium, & communicantium in privilegijs eorum, concessisse Sixtum IV. refertur in Compendio Privilegiorum Fratrum Minorum, §. Dispensatio. num. 9. & 12. ac tradit Herincx. disp. 6. de Censuris Ecclesiast. num. 192. & alij.

Prælati Regulares, in qua irregularitate dispensant cum suis Subditis?

74. Eandem facultatem dictus Sixtus IV. concessit etiam Prioribus conventualibus Ordinis Prædicatorum, & eorum Vicarijs; prout habetur in bulla, *Regimini universalis*. §. 4. (ac refertur Tom. 1. Bullarj Romani, Constit. 7. dicti Pontificis) & vulgò *Mare Magnum Prædicatorum* appellatur. Unde meritò inferunt Authores, quòd etiam Prælati, seu superiores Locales Regularium, communicationem Privilegiorum habentium, atque eorum vicem gerentes, possint cum suis subditis, etiam hospitibus ac Novitijs, dispensare in Irregularitatibus, ut supra; dummodò hæc per Regulam, Statuta, vel alias, non sint specialiter reservata Prælato superiori. Bernard. Sannig tom. 3. Theolog. Scotist. tract. De Censuris, dist. 3. quest. ult. Pellizarius tom. 2. Manual Prælat. tract. 9. cap. 3. n. 102. & rursus n. 130. ubi hoc speciatim docet de Irregularitate proveniente ex eo, quòd quis Censurâ Ecclesiasticâ irritus celebraverit Divina; & alij Canonistæ Regulares passim.

Quid de Superioribus, Localibus?



Limitatio
præmissæ.

75. Additur in data Conclusionè notanter, *In omni fermè Irregularitate, excepta illa, qua &c.* Nam in primis Irregularitas contracta ratione homicidij voluntarij, bigamiæ, & mutilationis membrorum, expressè excipitur à Sixto IV. tum *loc. cit.* tum in alia Bulla, *Regimini universalis* (itidem relatâ *Tom. 1. Bullar. Rom. Constit. 6.* dicti Pontificis, ac *Mare Magnum FF. Minorum nuncupatâ*) in qua Generali, ac Provincialibus Ministris ejusdem Ordinis FF. Minorum, ipsorumque Vicarijs pro tempore existentibus, suprâ dictam facultatem dispensandi cum suis subditis concessit. Deinde hinc excipi debet Irregularitas ex defectu animi proveniens: ut si quis sit amens, furiosus, aut patiens defectum necessariæ scientiæ: item ea, quæ oritur ex defectu corporis, ætatis, aut hujusmodi. Nam in talibus, quamdiu durant ejusmodi defectus, non posse dispensare Prælatos Regulares, est certum, ac extra controversiam. Idem respectu Prælatorum Localium dicendum de illis Irregularitatibus, quarum dispensatio expressè reservata fuit Prælato superiori.

Forma dispensandi
super irregularitate.

76. Pro fine hujus Quæstionis sciendum, quòd pro imperiendi dispensatione super Irregularitatibus, nulla sit præscripta certa forma verborum; sed sufficiat quæcunque, dummodò significet, Irregularitatem auferri. Communiter autem usurpatur ista forma: *Dispenso tecum super irregularitate, quam contraxisti ob celebrationem Divinorum in statu excommunicationis, v. g. aut ob hanc, vel illam causam (exprimendo hujusmodi causam)* Quòd si dubium sit, an quis Irregularitatem incurrerit, additur: *Si forte eam incurristi.*



TRA-